DISSERTATIO

DE

FAVORINI ARELATENSIS

VITA, STUDIIS, SCRIPTIS.

DISSERTATIO

DE

FAVORINI ARELATENSIS

VITA, STUDIIS, SCRIPTIS.

DISSERTATIO

DE

FAVORINI ARELATENSIS

VITA, STUDIIS, SCRIPTIS.

SCRIPSIT

J. L. MARRES.

ACCEDUNT FRAGMENTA.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.
MDCCCLIII.

PARENTIBUS

SACRUM.

PRAEFATIO.

Decurso fere spatio Academico de argumento dissertationis dubitanti auctor mihi fuit doct. Hulleman, *in Athenaeo Mosa-Trajectino olim Praeceptor, nunc Conrector Amstelodamensis, ut ad* Favorinum *animum adverterem, de vita hujus, studiis scriptisque disputarem, fragmenta scriptorum quae superessent colligerem et, si per tempus liceret, paucis interpretarer. Quod viri amicissimi consilium ut placuit continuo, ita deinde* Favorini *meritis in literas melius perspectis magis etiam arrisit. Nec ipsam qua vixit aetatem, quamvis jam tum deflorescere literarum studia et degenerare coepissent, indignam arbitrabar, in quam inquirerem diligentius. Mox etiam hoc comperi, recentiore aetate non esse a quoquam quaestionem ita pertractatam, ut qui denuo eam institu-*

PRAEFATIO.

Decurso fere spatio Academico de argumento dissertationis dubitanti auctor mihi fuit doct. Hulleman, in Athenaeo Mosa-Trajectino olim Praeceptor, nunc Conrector Amstelodamensis, ut ad Favorinum animum adverterem, de vita hujus, studiis scriptisque disputarem, fragmenta scriptorum quae superessent colligerem et, si per tempus liceret, paucis interpretarer. Quod viri amicissimi consilium ut placuit continuo, ita deinde Favorini meritis in literas melius perspectis magis etiam arrisit. Nec ipsam qua vixit aetatem, quamvis jam tum deflorescere literarum studia et degenerare coepissent, indignam arbitrabar, in quam inquirerem diligentius. Mox etiam hoc comperi, recentiore aetate non esse a quoquam quaestionem ita pertractatam, ut qui denuo eam institu-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

hic possum palam testari, gaudeo vehementer. Tibi praecipue hoc dictum sit, doctissime Hulleman. Te praeceptore usus sum et optimo et amicissimo. Tu mihi constanter affuisti, imbuendo puerum literarum amore, juvenem adhortando, studiis consulendo, benevolentiam in me conferens in dies majorem. Hoc scias, vir praestantissime, verum erga te pietatis sensum pectori meo haerere infixum.

Jubet me etiam officium, sed unum in paucis jucundissimum, vobis gratias agere, Viri Clarissimi quorum institutione frui in hac Musarum sede mihi contigit. Tua in me merita laudesque tuas praedicare, Clar. van Goudoever, nec possum ego nec, si possim, tu velis. Hoc tibi persuadeas rogo, conaturum me, quod cupio ardenter, haberi in discipulorum tuorum gratorum gratissimis. Ad benevolentiam autem et humanitatem, qua tu, Promotor aestumatissime, semper me excepisti, ad egregia tua praecepta, privatis etiam lectionibus aucta, velut cumulus accesserunt suavissima simul et saluberrima consilia, quibus me in hac dissertatione scribenda perpetuo adjuvisti. Quibus tantis beneficiis me tibi, Clar. Karsten, devinctum adstrictumque esse sentio quidem, sed cum me verba deficiant, ut par est significare nequeo.

Nec vestri oblivisci licet, Commilitones, quos habui in hac Academia amicos fidosque. Plerique jam alio alii discessistis; sed ubicunque locorum aut sumus aut erimus, idem sit quod antea nobis studium, vigeat idem sensus, eadem maneat animorum conjunctio. De me spondeo. A vobis exspecto. Valeatis.

PROOEMIUM.

Quod superiora tempora respiciens verissime dixit Horatius:

Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio,

id haud scio an magis etiam in eam conveniat aetatem, quae fuit altero p. Ch. saeculo ineunte. Tum enim, senescente quo literae Latinae floruerant vigore, Roma, ut erat caput imperii orbis terrarum, ita facta est Graecarum artium et literarum omnisque cultus Graecanici sedes, in quam undique confluebant qui ingenio, doctrina vel arte aliqua excellerent. Ex hoc, ut ita dicam, meditullio quoquoversus lucis radii sunt in provincias emissi, qui marcescentem in illis spiritum et vigorem recrearunt. Attamen quamvis ita efflorescerent in imperio Romano literae Graecae, effloruisse tamen eas agnosceres in solo non suo.

Qui Latini eas colebant, horum studium non continebatur delectatione, quam capiebant oratoribus et philosophis audiendis et legendis, non satagebant versare optimum quemque scriptorum et poëtarum Graecorum; non exemplaria Graeca imitari scriptis Latinis studebant; sed Graeci ipsi quum vellent videri et viderentur sibi, Graece et loquebantur et scribebant. Cujus quidem rei ut semel exemplum dedit Hadrianus Caesar, non solum a se-

quentibus deinceps Imperatoribus et aulicis, sed ab omnibus fere cultioribus per totam Italiam Latinis literis Graecae sunt antepositae. Erat enim Hadrianus literarum artiumque amantissimus, iisque omni modo ubique favebat. Honores igitur et immunitates, quibus jam gaudebant philosophi, rhetores, grammatici, medici, confirmavit [1]), et amplis insuper donis et muneribus illos ornavit [2]). Rem scholasticam promovit, et instituto Trajani, quo quinque millia ingenuorum publico sumptu alebantur et instituebantur, incrementum liberalitatis adjecit [3]); Museo Alexandrino viros fama nobiles adscripsit [4]); Athenis praeter multas aedes gymnasium et bibliothecam aedificavit [5]); neque minora perfecit Romae, ubi ludum ingenuarum artium constituit Athenaeum [6]). Ipse Graecis moribus et doctrinis imbutus [7]), unde *Graeculus* appellatus est, familiari consuetudine utebatur gram-

---

1) Digest. Lib. XXVII, de Excusat. VI § 8, qua constitutione immunes erant *γυμνασιαρχιῶν, ἀγορονομιῶν, ἱερωσυνῶν, ἐπισταθμιῶν, σιτωνίας, ἐλαιωνίας, καὶ μήτε κρίνειν, μήτε πρεσβεύειν, μήτε εἰς στρατείαν καταλέγεσθαι ἄκοντας, μήτε εἰς ἄλλην αὐτοὺς ὑπηρεσίαν ἐθνικὴν ἤ τινα ἄλλην ἀναγκάζεσθαι.*

2) Philostr. Vit. Soph p. 532 sq. (ed. Kays. Heidelb. 1838, p. 44, 13).

3) Ael. Spart. Vit. Hadr. VII, coll. Plin. Paneg. XXVIII.

4) Philostr. p. 524 (37, 33), p. 532 (44, 11.)

5) Pausan. I. 18 s. f.

6) Aurel. Vict. XIV. De Athenaeo cf. Klaus. Gesch. d. Erzieh. p. 352.

7) De Hadriani studiis ejusque consuetudine cum viris doctis cf. Ael. Spart. I s. fin., II, III init., XIV, XV, XVI, XX, XXV, coll. Sext. Aur. Vict. de Caes. XIV ejusque Epit. XIV et Reimar. ad Dionis LXIX. 8. p. 1151. De puerili Hadriani aetate Ael. Spart. I. s. fin.: „Imbutusque impensius Graecis studiis, inquit, *ingenio ejus sic ad ea declinante*, ut a nonnullis Graeculus diceretur." Seriore demum vitae aetate literas Latinas excolere coepit, ut tradit idem III.

maticorum, sophistarum, philosophorum; tam versibus quam soluta oratione promptus, cum illis crebro disputabat atque adeo carminibus vel libris editis certabat. Infitiari tamen hoc nequeas, doctrinae ejus amorem ad speciem potissimum et jactationem pertinuisse, qua in omnibus rebus, tam maximis quam minimis, aeque atque in militia primum se esse gestiebat, quo factum est, ut saepe viros eximios odiosa obtrectatione prosequeretur; nec minus reprehendas in eo inane illud studium, quo singularis videri studebat, obscuros et vetustos scriptores imitandi eosque optimis fere anteponendi; quibus rebus haud parum favisse censendus est vitiorum segeti, quae in literarum studium irrepserunt. Ipsa tamen illorum origo et causa repetenda est e mutata prorsus temporum ratione et indole gentis Graecae, qua disciplinae liberales, eloquentia praesertim et philosophia, mirum quantum degenerarunt et aliam velut naturam induerunt.

Libertatis amorem simul cum patria amiserant Graeci, religionis sensum dudum nullum habebant. Qui philosophos se profitebantur, historice et grammatice philosophiam tractabant, hoc maxime agentes, ut antiqua placita intelligerent, et in his quodammodo viverent. Plerique igitur incidebant in eclecticismum, saepe etiam placitis e graeca philosophia ductis notiones admiscebant ex Oriente petitas; alii totos se tradebant futili omniaque evertenti scepticismo. Sed luculentius etiam indolem illius aetatis refert eloquentia, mera constans ostentatione, quam nescio an commode, pariter atque aetatem ipsam, *sophisticam recentiorem* dixerim. Quae quidem res quum proxime ad eum pertineat, de cujus vita, studiis scriptisque dicturus sum, digna mihi videtur, de qua paulo diligentius exponam.

Recentior igitur haec sophistica ars cum ea, quam sectati sunt Socratis aequales, nonnulla habet communia; sic ex. gr. versabantur nonnunquam recentiores hi sophistae in rebus tractandis judicialibus 1), saepius etiam dissertationum argumenta petebant e philosophia 2) nec minus ex *ἀδόξοις ὑποθέσεσιν* 3), iisdemque extemporalis dicendi facultas laudis fastigium erat 4).

Discrepantiae autem summa ex ipso fine petenda est, quem prorsus diversum utrique sibi assequendum proposuere. Eloquentiae enim finis primarius est *persuadere*. Hinc robur eloquentiae positum est in vi, quam habere potest in res magnas, a quibus vel singulorum civium vel rei publicae salus aut utilitas pendeat; hac autem vi sublata, nulla est hoc nomine digna eloquentia. Hinc discrimen inter sophisticam antiquam et recentiorem. In illa maxime conjuncta erat eloquentia cum prudentia civili; quo factum ut haud parum auctoritate valuerint sophistae in rebus judicialibus et in civitatis administratione. Contra in recentiore hoc ipsum vetabat imperii

---

1) Cf. Philostrat. p. 567 (72, 5): *τὴν δὲ ἰδέαν τῶν λόγων ἀποχρῶν καὶ τοῖς δικανικοῖς καὶ τοῖς ὑπερσοφιστεύουσιν*. et alibi saepius.

2) De his vide infra p. 9 not. 3.

3) Vocantur etiam *ἄδοξοι, παράδοξοι, φαῦλοι, ἄτοποι, πονηραὶ ὑποθέσεις*, Latine *infames* sive *inopinabiles materies*, quales sunt Laudes Thersitae, febris quartanae. De utilitate ejusmodi exercitationum ad ingenium oratoris acuendum cff. Isocrates Helenae encom. init., Gellius XVII. 12; de praeceptis in iis observandis Fronto p. 254 ed. Niebuhr. Varias tum antiquorum tum recentiorum sophistarum *ὑποθέσεις* recenset Cresoll. Theatr. rhet. III. 9 (Gronov. Thes. Antiq. Gr. Vol. X).

4) Quanti hanc facultatem fecerit Herodes Atticus, testatur Philostr. p. 536 (47, 27): *Ἦρα μὲν γὰρ τοῦ αὐτοσχεδιάζειν μᾶλλον ἢ τοῦ ὕπατός τε καὶ ἐξ ὑπάτων δοκεῖν κτέ.* Cff. Vit. Scopeliani Alexandri et prae omnibus Polemonis.

status. Pendebant omnia ab arbitrio unius, cujus auctoritati et arbitrio nemo non serviebat; quae ubi suprema lex est, quis potest esse usus eloquentiae? Sublata igitur erat disceptatio de rebus publicis, quae quidem alicujus essent momenti; etiam res judiciales certis finibus erant circumscriptae. Itaque non, ut veteres, eloquentiam tractarunt ad persuadendum, sed ipsam propter se coluerunt tanquam ministram delectationis. Hanc unice venantes studiose affectabant orationis elegantiam et ornatum [1]; praesertim vero facetias, cincinnos et lusum verborum [2], quaesitum saepe et ineptum, aucupabantur [3]. Tum vocis modulationi studebant, et more Phrygio in perorationibus cantica interdum adhibebant [4]. Porro oculorum, manuum omnisque corporis motibus multum studii tribuebant [5]. Nec minus cogitationibus, quas videri subitas volebant, et acute dictis auditorum animos erigere et intendere studebant [6]. Oratoriam igitur facultatem cum tragica gravitate [7] et comica hilaritate [8]

---

1) λέξις πολιτικὴ, λόγος πολιτικός. Cf. Philostr. p. 599 (98, 1), Lucian. quom. hist. conscrib. sit. XLIII s. f.

2) Philostr. p. 527 (40, 23).

3) Philostr. p. 574 (77, 25), qui locus inde a p. 571 med. (75, 19) narrationem continens de Alexandro Athenas profecto, ubi publice diceret, totus conferri meretur.

4) Philostr. p. 491, 589 (13, 18; 90, 2). Jure de hoc more Lucianus Rhet. Praec.: Ἢν δέ ποτε, inquit, καὶ ᾆσαι καιρὸς εἶναι δοκῇ, πάντα ᾀδέσθω καὶ μέλος γενέσθω. Eundem morem carpit Dio Orat. XXXII πρὸς Ἀλεξανδρεῖς, p. 382 M. (439 E.).

5) Philostr. p. 574 init. (77, 26). Hoc nomine prae aliis insignis habebatur Polemo.

6) Exempla passim affert Philostratus, ubi sophistarum dicendi rationem adumbrat.

7) p. 565, 590 (77, 29; 90, 38). 8) p. 564 (70, 9).

Recentior igitur haec sophistica ars cum ea, quam sectati sunt Socratis aequales, nonnulla habet communia; sic ex. gr. versabantur nonnunquam recentiores hi sophistae in rebus tractandis judicialibus [1]), saepius etiam dissertationum argumenta petebant e philosophia [2]) nec minus ex *ἀδόξοις ὑποθέσεσιν* [3]), iisdemque extemporalis dicendi facultas laudis fastigium erat [4]).

Discrepantiae autem summa ex ipso fine petenda est, quem prorsus diversum utrique sibi assequendum proposuere. Eloquentiae enim finis primarius est *persuadere*. Hinc robur eloquentiae positum est in vi, quam habere potest in res magnas, a quibus vel singulorum civium vel rei publicae salus aut utilitas pendeat; hac autem vi sublata, nulla est hoc nomine digna eloquentia. Hinc discrimen inter sophisticam antiquam et recentiorem. In illa maxime conjuncta erat eloquentia cum prudentia civili; quo factum ut haud parum auctoritate valuerint sophistae in rebus judicialibus et in civitatis administratione. Contra in recentiore hoc ipsum vetabat imperii

---

1) Cf. Philostrat. p. 567 (72, 5): *τὴν δὲ ἰδέαν τῶν λόγων ἀποχρῶν καὶ τοῖς δικανικοῖς καὶ τοῖς ὑπερσοφιστεύουσιν*. et alibi saepius.

2) De his vide infra p. 9 not. 3.

3) Vocantur etiam *ἄδοξοι, παράδοξοι, φαῦλοι, ἄτοποι, πονηραὶ ὑποθέσεις*, Latine *infames* sive *inopinabiles materies*, quales sunt Laudes Thersitae, febris quartanae. De utilitate ejusmodi exercitationum ad ingenium oratoris acuendum cff. Isocrates Helenae encom. init., Gellius XVII. 12; de praeceptis in iis observandis Fronto p. 254 ed. Niebuhr. Varias tum antiquorum tum recentiorum sophistarum *ὑποθέσεις* recenset Cresoll. Theatr. rhet. III. 9 (Gronov. Thes. Antiq. Gr. Vol. X).

4) Quanti hanc facultatem fecerit Herodes Atticus, testatur Philostr. p. 536 (47, 27): *Ἦρα μὲν γὰρ τοῦ αὐτοσχεδιάζειν μᾶλλον ἢ τοῦ ὕπατός τε καὶ ἐξ ὑπάτων δοκεῖν κτέ.* Cff. Vit. Scopeliani Alexandri et prae omnibus Polemonis.

status. Pendebant omnia ab arbitrio unius, cujus auctoritati et arbitrio nemo non serviebat; quae ubi suprema lex est, quis potest esse usus eloquentiae? Sublata igitur erat disceptatio de rebus publicis, quae quidem alicujus essent momenti; etiam res judiciales certis finibus erant circumscriptae. Itaque non, ut veteres, eloquentiam tractarunt ad persuadendum, sed ipsam propter se coluerunt tanquam ministram delectationis. Hanc unice venantes studiose affectabant orationis elegantiam et ornatum [1]; praesertim vero facetias, cincinnos et lusum verborum [2], quaesitum saepe et ineptum, aucupabantur [3]. Tum vocis modulationi studebant, et more Phrygio in perorationibus cantica interdum adhibebant [4]. Porro oculorum, manuum omnisque corporis motibus multum studii tribuebant [5]. Nec minus cogitationibus, quas videri subitas volebant, et acute dictis auditorum animos erigere et intendere studebant [6]. Oratoriam igitur facultatem cum tragica gravitate [7] et comica hilaritate [8])

1) *λέξις πολιτική*, *λόγος πολιτικός*. Cf. Philostr. p. 599 (98, 1), Lucian. quom. hist. conscrib. sit. XLIII s. f.

2) Philostr. p. 527 (40, 23).

3) Philostr. p. 574 (77, 25), qui locus inde a p. 571 med. (75, 19) narrationem continens de Alexandro Athenas profecto, ubi publice diceret, totus conferri meretur.

4) Philostr. p. 491, 589 (13, 18; 90, 2). Jure de hoc more Lucianus Rhet. Praec.: *Ἢν δέ ποτε*, inquit, *καὶ ᾄσαι καιρὸς εἶναι δοκῇ, πάντα ᾀδέσθω καὶ μέλος γενέσθω.* Eundem morem carpit Dio Orat. XXXII *πρὸς Ἀλεξανδρεῖς*, p. 382 M. (439 E.).

5) Philostr. p. 574 init. (77, 26). Hoc nomine prae aliis insignis habebatur Polemo.

6) Exempla passim affert Philostratus, ubi sophistarum dicendi rationem adumbrat.

7) p. 565, 590 (77, 29; 90, 38). 8) p. 564 (70, 9).

junctam repraesentare conabantur: unde haud ita absurde eorum dicendi ratio *σκηνή* [1]), et auditorium frequens *θέατρον* [2]) appellatur. Quae quum ita sint, recte hoc sophistarum genus descripsit Emperius [3]): „Tametsi, inquit, interdum caussas agerent, tamen hoc ipso insignes sunt, quod neque ad certum quoddam literarum genus, vel vitae aliquem usum, certum denique finem dicendi facultatem revocabant, ut veteribus sophistis hoc certe semper fuit propositum, ut persuaderent. *Istos honestum genus histrionum dixeris, quorum mores quoque referebant.*"

Et vero ita semper fere eos videmus disserentes vel declamantes. Neque aliam ob caussam longinquas saepe civitates adibant [4]), nisi quod nonnunquam eloquentiae certamina ibi edebantur, quae haud raro auditorum animos partium studio incendebant, et litibus ansam praebebant. Quam avide ubivis audirentur fama inclyti sophistae, unum abunde docet Hadriani sophistae exemplum, quod legitur apud Philostr. p. 589 (90, 5.)

Latissime igitur quum pateret campus, in quo exspatiarentur sophistae, necesse erat, ut tirones haud paucos annos [5]) diversissimis progymnasmatum generi-

---

1) Philostr. p. 537, 595. Cff. quae annotavit Kayserus ad ed. suae p. 48, 7; 94, 29.

2) Vid. omnino Cresoll. l. l. III. 12. 3) Opusc. II. p. 23 in not.

4) Cff. omnino vitae Polemonis, Herodis Attici, Philagri, Alexandri Peloplatonis. De Ptolemaeo, qui permultos populos et civitates adiit, dicit Philostr. p. 596 (95, 25): *ὥσπερ ἐπὶ λαμπροῦ ὀχήματος τῆς φήμης ὀχεῖ τὰ ἄστη.*

5) Philostr. p. 542 (53, 22) de Polemone: *Ἐτελεύτα μὲν*, inquit, *παρὰ τὰ ἓξ καὶ πεντήκοντα ἔτη, τὸ δὲ μέτρον τῆς ἡλικίας τοῦτο ταῖς μὲν ἄλλαις*

bus [1]) assidue exercerentur in sophistarum scholis. Has vero priusquam adirent, postulabatur ut callerent grammaticam [2]), ut legendis et interpretandis optimis scriptoribus Graecae linguae interiorem notitiam sibi comparassent, et, quod ante omnia postulabatur, ut ne aliis nisi probatis uterentur vocabulis.

Atque quum jam eo pervenissent, ut de nuntiatis argumentis prompte, de propositis ex tempore dicere possent, assiduis tamen utebantur exercitationibus, ne facultatem magno labore partam amitterent [3]).

Publica sophistarum professio praecipue versabatur in tractandis *μελέταις* et *διαλέξεσιν* [4]). Utrumque genus *ἐπίδειξις* amplectebatur [5]). *Μελέτην* eam declamationem

---

ἐπιστήμαις γῆρως ἀρχὴ, σοφιστῇ δὲ νεότης ἔτι (leg. *ἐστί*)· *γηράσκουσα γὰρ ἤδε ἡ ἐπιστήμη σοφίαν ἀρτύνει.*

1) Quae et qualia fuerint, tradunt imprimis Hermogenes, Aphthonius, Theon, quorum Aphthonius Progymn. I. init. studium philosophiae requirit. Cf. omnino Westerm. Gesch. d. Bereds. I. p. 265.

2) Multis locis Philostr. in Vit. Soph. commemorat, quibus magistris in studiis grammaticis usi sint sophistae. Cf. e. g. p. 592 (92, 7), ubi indicat, quatenus Pollux fuerit *ἀπαίδευτὸς* et *πεπαιδευμένος* simul. Puritatem illam dictionis ut assequerentur, variorum adhibebant librorum apparatum, quales Philostratus p. 565 (70, 30) ab Herode, et p. 581 (83, 33) ab Aristide, *τῶν παλαίων* s. *τῶν ἐλλογίμων* admodum studioso, confectos ait, quique Collectaneorum et Onomasticorum nomine plurimi ea aetate prodierunt.

3) Cff. p. 569 et 529 init., p. 583 med. fere (70, 21; 41, 31; 85, 20).

4) Saepius Philostratus *μελέταις διαλέξεις* opponit. Cff. e. g. p. 604 (101, 18) et p. 619 (112, 36). Maxima orationum sophisticarum varietas in scriptis Libanii superest.

5) Philostrat. p. 579 (81, 32 sq.), p. 619 (112, 10) et p. 626 (117, 32). De *ἐπιδείξεσι* Cresollius agit l. l. III. 7 sqq., quamquam erravit in eo, quod pro *tertio* orationum genere illas habuit, quum, ut ait Emperius (l. l. p. 24) et *μελέτη* et *διάλεξις* possit esse *ἐπίδειξις*. Quod enim ipsum nomen indicat, arti probandae et ostentandae inservit *ἐπίδειξις*.

dicebant, cujus argumentum vel prorsus erat commenticium, vel (quod quidem *μελετῶν* genus splendidissimum censebatur) pertinebat ad historiam, sive fidem historicam servarent sive eam orationis ornatui accommodarent sive tandem orationes ab antiquis habitas suo modo recoquerent [1]). Itaque orator res praeteritas tanquam praesentes, fictas tanquam veras et viventes, personas ipsas accommodatas rebus quasi in scena proponebat; quibus omnibus convenienter et agebat et dicebat. In his autem *μελέταις*, praesertim si subito dicendum esset de argumento ex historia petito, luculentissime cernebatur et dijudicabatur sophistae peritia atque dicendi facultas. *Μελετῶν* varias esse potuisse species [2]) sponte patet; sed omnium haec erat nota communis, ut versarentur in rebus fictis vel praeteritis. Contrarium locum habebat in *διαλέξεσι*.

„Dialexis [3]) enim semper ad rem et veritatem et praesentem aliquem vel dicentis vel auditorum usum refertur, sive illi hortandi sunt aut monendi, sive docendi aut dedocendi, sive laudandi aut vituperandi [4]); ficta vero vel ex antiquis temporibus recocta argumenta prorsus exclusa sunt." Saepius etiam hoc orationum genus versabatur in laudibus singulorum hominum, praecipue nobilium virorum, magistratuum, principum; nonnunquam etiam sophistae

---

1) Horum generum exempla suppeditat Philostr. p. 619 (112, 16), p. 538 (48, 26), p. 514 (28, 20).

2) Ut sunt varii *ἀγῶνες* s. causae judiciales et *σοφιστικαὶ ὑποθέσεις*: saepius enim *μελέται* per excellentiam *ὑποθέσεις* appellantur, vel *εἰς ὄνομα ὑποθέσεις*, *causae finitae*.

3) Emperius l. l. p. 24.

4) Ad varia *διαλέξεων* genera, paucis exceptis, pertinent pleraeque orationes Dionis Chrysostomi.

aemulos carpebant vel laudabant in διαλέξεσιν [1]), et quod raro omittebant, ut auditorum benevolentiam sibi compararent, laudes in illis celebrabant civitatum [2]), ad quas dicendi causa devenissent; prae ceteris autem inter διαλέξεις insignis erat dissertatio [3]), cujus argumentum e philosophia erat petitum. Argumenti ratio ipsa causa fuit, cur διαλέξεις sedatius plerumque procederent [4]), siquidem in illis non ita histrionum partes agebant sophistae, ut in μελέταις fieri solebat.

Alia praeterea erant literarum genera, quae quamquam ab oratoria facultate recedunt, ad sophisticam tamen pertinebant, et ad scholae usum referenda sunt, ut epistolae et fabulae eroticae. E quibus omnibus satis apparet, talem artem cum diversissimis progymnasmatum et exercitationum generibus, si praesertim conjungeretur cum philosophiae studio, quale supra indicavi, necessario peperisse polymathiam illam et doctrinae ostentationem, quae propria fuit ejus saeculi.

Haec universe monenda videbantur, quo rectius foret nobis de Favorino judicium, quem qui cognorit, eum multum profecisse puto ad aetatem illam cognoscendam, quippe cujus imaginem ille referat satis vivide expressam.

1) Philostr. p. 537, 594 (48, 5; 94, 17).

2) Philostr. p. 579, 572 init. (81, 30; 75, 37). Idem tamen indignum judicarunt Polemo et Hadrianus, quum dicendi causa Athenas venissent. Vid. p. 535 et 587. (46, 7; 88, 2).

3) Nonnunquam etiam dicuntur θέσεις vel θετικαὶ ὑποθέσεις vel θετικὰ τῶν χωρίων, *causae infinitae*. Cff. quae annotavit Kayser ad ed. suae pagg. 5, 6; 79, 26; 90, 40. Quae supersunt Maximi Tyrii orationes, ad unam omnes ad dissertationes philosophas pertinent.

4) Philostr. II. p. 568 (72, 25).

CAPUT I.

FAVORINI VITA.

Favorino [1] quae fuerit patria, certis testimoniis constat: nam Gallum quum dicant ceteri [2], Philostratus oriundum scribit ex urbe Arelate, ad Rhodanum sita [3], quae Romanis primum fortasse nota bello a C. Julio Caesare in Gallia gesto [4], Romana colonia facta est

1) Est haec Latina hujus nominis scribendi ratio, quam ut credo esse verissimam, ita sequor. Confirmat eam inscriptio pertinens ad tempora Commodi Imperatoris, quae reperitur in Murator. Thesaur. vett. inscr. Tom. I. p. 243. Adde alteram incertae aetatis, quae exstat in Gruter. Inscr. antiq. Vol. II. p 734, 10. Forma *Phavorinus*, quae multis placuit, a Graeco Φαβωρῖνος male ducta est. Cf. Olear. ad Philostr. p. 489. — Porro qui de rebus Favorini scripsere, commemoratos invenio J. F. Gregorium Comment. II de Phavorino Laub. 1755, 4°, et Forshamum Dissert. de Phavorino, Abo 1789, 4°; sed disputationes ipsae scribenti mihi ad manus non fuerunt.

2) Dio Cass. LXIX. 3; Lucian. Eunuch. VII, ubi Favorinus non nominatur diserte, sed haud dubie indicatur; Gellius N. A. II. 22, ubi ipse Gallos *suos* dicit. Alterum locum Gellii, qui est IX. 13, huc referre nolim.

3) l. l. p. 489 (11, 2). Ἦν τῶν Ἑσπερίων Γαλατῶν, Ἀρελάτου πόλεως, ἣ ἐπὶ Ἠριδανῷ ποταμῷ ᾤκισται. Accedit Suidas v. Φαβωρῖνος.

4) Caesar B. C. I. 36; ex quo loco efficitur, jam tum oppidum haud ignobile fuisse. Cf. Strab. IV. p. 181.

A. U. 708 [1]), atque opulentissimis Galliae Narbonensis urbibus annumeratur [2]). Sic, quamvis natione Gallus, Favorinus civis Romanus et haberi voluit et fuisse videtur [3]). Ceterum quibus parentibus natus, qua condicione usus sit, a nullo traditur. Si quid ex itineribus conjiciendum quae plura suscepit, ex ἀρχιέρεως munere quo functus est in patria, atque omnino e ratione qua deinde Romae vixit, fuit ei res domestica satis lauta et ampla. Sed huc infra paucis erit redeundum.

Corpore Favorinus fuit ambiguae naturae; διφυὴς ἐτέχθη, ut ait Philostratus, καὶ ἀνδρόθηλυς. Atque hoc vel ejus figura indicabat; ut enim solent esse ejusmodi homines, imberbis fuit, etiam quum senesceret, vocisque sonus acutus, tenuis et intensus [4]). Quum igitur Demonactem philosophum aliquando rogaret Favorinus [5]), quam philosophorum scholam praeferret, respondit ille „Quis

---

1) Suet. Vit. Tib. IV. „Pater Tiberii — ad deducendas in Galliam colonias, in queis Narbo et Arelate erant, missus est."

2) Pompon. Mel. II. 5. 2. Universe de Arelate s. Arelato cf. Forbiger Handb. d. alt. Geogr. III. p. 184 sq,

3) Haec certe verba Favorino Gellius tribuit IV. 1: „Haec ego cum philosophiae me dedissem, non insuper tamen habui discere: quoniam civibus Romanis Latine loquentibus rem non suo vocabulo demonstrare non minus turpe esset, quam hominem non suo nomine appellare." Atque hunc locum puto esse pro multis aliis; quocirca non urgebo, quod saepius Gellius dicit *Favorinus noster*, memor eorum quae alibi apud Gellium leguntur, I. 10 *antiqui viri nostri*, III. 1 *noster Probus*, XII. 1 *noster Maro*, XVII. 10 *ille Graecus* (Pindarus), *at hic noster* (Maro). Non urgebo, inquam; ideo etiam, quod in his testimoniis non maximam vim inesse patet comparanti locum Gellii supra laudatum, *nostri Galli*).

4) Philostr. p. 489 (11, 4), qui tamen suum illud ἀνδρόθηλυς mox permutat nomine εὐνούχου, ut indicant verba ὥσπερ ἡ φύσις κτέ. Cf. Polemonis Physiogn. (ed. Rom.) p. 89.

5) Lucian. Demon. XIII.

tibi dixit, me esse philosophum?" et abiens suavissime coepit subridere. Sciscitanti autem Favorino, quid rideret, non illepide Demonax: Γελοῖόν μοι εἶναι ἔδοξεν, inquit, εἰ σὺ ἀπὸ τοῦ πώγωνος ἀξιοῖς κρίνεσθαι τοὺς φιλοσοφοῦντας, αὐτὸς πώγωνα οὐκ ἔχων. Nec minus jocose alio tempore idem Favorinum lusit. Qui quum ex eo quaereret, quos apparatus habens a pueris ad philosophiam accessisset ὄρχεις, respondit Demonax [1]). Quid mirabimur, adversarios Favorini, praecipue philosophos Stoicos et Cynicos, naturae illud vitium, quo per ludibrium εὐνούχοις eum annumerabant, retulisse [2]) ad quaesitum et compositum ejus dicendi genus, quod ut effeminatum carpebant?

Quo loco Favorinus primum adolescens literis studuerit, non constat. Haud improbabile quidem, fuisse olim Arelate scholas rhetorum [3]), sed admodum dubito, an Trajani et Hadriani temporibus talis ibi fuerit publica institutio, quae iis, qui literis non leviter tincti esse vellent, sed doctrinam appeterent exquisitiorem, sufficerent [4]). Qui autem reputaverit, qua doctrinae laude et dudum ante et

---

1) l. l. XII.

2) Philostrat. p. 541 (52, 4), Lucian. Eunuch. VII; sed huc infra erit redeundum, quum de genere ejus dicendi videbimus.

3) Hoc saltem ex Strab. IV. p. 181 efficere licet, ubi de Gallia Narbonensi agens vim indicat, quam in Gallorum ingenii cultum et literarum studium habuit Massilia.

4) Sic ut sentiam, facit imprimis omnium scriptorum, qui de Arelate retulerunt vel, ut Prudentius, laudes ejus praedicarunt, altum silentium. Quae posterioribus temporibus, saeculo maxime VI, auspice B. Caesario, ibi floruit schola Christiana, huc non pertinet; fuit enim schola cathedralis, cujus origo cum ipsa aedis cathedralis constitutione cohaeret. Cf. Hist. litt. de France Tom. III. p. 23.

tum vicina floruerit Massilia, ut non tantum Roma in hanc *sedem ac magistram studiorum* proficiscerentur adolescentes [1]), sed aliunde etiam illuc convenirent [2]), facile et probabiliter, opinor, inde mecum efficiet, Arelatensem quoque civem Favorinum eodem consilio Massiliam commigrasse. Idem vero ut postea juris se peritissimum probavit, ita, quod fuit iis temporibus more receptum [3]), Romam migrasse videtur, ut huic disciplinae operam navaret. Et sic quidem intelligitur, unde potissimum Favorinus, quum Graecarum literarum esset studiosissimus, Latinis quoque fuerit doctissime eruditus. Romae [4]) item verisimile est primum ab eo auditum esse Dionem Chrysostomum, nobilem sophistam et philosophum, quem praeceptorem sibi fuisse ipse professus est apud Hadrianum Imperatorem [5]), licet ab ejusdem disciplina ita descivisse dicatur, ut qui nunquam audivisset [6]). Remotus enim erat Dio a jactabundo illo dicendi genere, cui favebat Favorinus; alienus quoque a philosophandi ratione, quae versatur in rerum

1) De Agricola Tacitus IV: „Statim parvulus, inquit, sedem ac magistram studiorum Massiliam habuit, locum Graeca comitate et provinciali parsimonia mixtum ac bene compositum." Universe de Massilia Strabo testatur IV. p. 181: *"Εν γε τῷ πάροντι καὶ τοὺς γνωριμωτάτους Ῥωμαίων πέπεικεν, ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας, ἐκεῖσε φοιτᾶν φιλομαθεῖς ὄντας.* Cf. Cicero pro Flacco XXVI.

2) Prae aliis Lucianum commemoro, qui aetate paulo quidem posterior, sed tamen suppar Favorino fuit. Illum enim Massiliae rhetorica docenda quaestum fecisse, jure efficiunt ex lib. Pro merc. cond. XV et Bis accus. XXVII.

3) Schlosser, Gesch. d. a. Welt III. 4. p. 192.

4) Dio Chrysostomus post complurium annorum exilium, quum Domitianus esset occisus, Romam revertit, eoque post parvam in patria *ἐπιδημίαν* iterum rediit.

5) Philostr. p. 490 (11, 30), Dio Cass. LXIX. 3.

6) Philostr. p. 491 (13, 20).

contemplatione, sed ad Stoicam proxime accedens, placita sua imprimis ad vitae usum accommodabat. Epicteti philosophi auditorem fuisse [1]) Favorinum, etsi affirmare nolim, negare tamen vereor, quamvis postea contra illum scripserit.

Relicta deinde Roma, Favorinus varia et longinqua itinera suscepisse videtur, quae cum ejus studiis philosophis et sophisticis arctissime cohaerent. In Graecia enim illum disputantem offendimus inter Plutarchi familiares [2]), quem summum virum, per praeceptorem Dionem [3]) vel aliunde sibi cognitum, quantopere admiratus sit Favorinus, vel inde patet, quod non solum librum quendam suum Plutarchi nomine inscripsit, sed aemulari quoque cum studuit et librorum numero aequiparare [4]).

Favorinum Plutarchus quum laudet honorifice [5]), tum quanti fecerit deperdita ad Favorinum epistola Περὶ φιλίας, quam commemorat in indice Lamprias, atque opus Περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ Favorino dedicatum, luculenter probant. Athenis etiam commoratus est Favorinus, ibique fortasse ob eloquentiae laudem [6]) tantopere Atheniensium gratiam sibi conciliavit, ut statuam aeneam ipsi posuerint [7]).

Florebant iis temporibus sophistae maxime in Asia minore, praesertim in Ionia, quae erat quasi μουσεῖον

---

1) Gell. XVII. 19. 2) Plutarch. Quaest. Conviv. VIII. 8.

3) De amicitia quae inter Dionem et Plutarchum intercessit cf. Kayserus l. l. p. 174.

4) Galenus Περὶ ἀρίστης διδασκαλίας, I. p. 131, 15 (ed. Kays.), Suidas v. Φαβωρῖνος.

5) Quaest. Rom. XXVIII, Quaest. Conviv. l. l.

6) De hoc more cff. Dionis Chrysostomi orationes Corinthiaca et Rhodiaca.

7) Philostr. p. 490 (12, 7).

πεπολισμένη [1]). Quid mirum igitur, in hanc quoque regionem Favorinum se contulisse? Ibi autem gravis ipsi contentio orta est cum Polemone sophista [2]), quae qualis fuerit et unde orta, memoriae non proditur. E Philostrato efficere licet, causam repetendam esse ex aemulatione, opportunitatem e certamine sophistico; litem denique ipsam haud parum aluisse videtur aemulatio [3]), quae erat Smyrnae cum Epheso. Haec enim Favorini partibus se adjunxit; Polemonem mirata est Smyrna. Neque contenta his finibus lis Romam translata est, ubi etiam increvit, consulibus et consulum filiis hunc aliis, aliis illum laudantibus. In hac autem contentione uterque eorum turpi invidia se vinci passus est, quum alter alterum conviciis proscinderet. Ipsa enim aemulatio ut laudabilis est, τῆς ἀνθρωπείας φύσεως, ut ait Philostratus, τὸ φιλότιμον ἀγήρω ἡγουμένης, ita ἀσελγὴς λοιδορία, κἂν ἀληθὴς τύχῃ, οὐκ ἀφίησιν αἰσχύνης οὐδὲ τὸν ὑπὲρ τοιούτων εἰπόντα. Postea tamen, quum contenderent inter se Scopelianus sophista et Timocrates philosophus, qua contentione Smyrnaea juventus in duas partes distracta est, utriusque auditor Polemo Timocratis partes secutus est, πατέρα καλῶν αὐτὸν τῆς ἑαυτοῦ γλώττης seque excusans apud illum de maledictis in Favorinum collatis, timide cessit atque submisse, ut solent pueri, qui magistrorum plagas reformidant [4]).

Ex Asia redux reliquam vitam Favorinus Romae, ubi domum habebat et bibliothecam [5]), atque in vicinis locis degisse videtur [6]). Consuetudine familiari ibi usus est

1) l. l. p. 516 (31, 2). 2) p. 490 (12, 23). 3) p. 531 (43, 17).
4) Philostr. p. 536 (47, 17). 5) p. 490 (12, 17).
6) Gell. III. 1, XVII. 10.

virorum et dignitate et eruditione principum, quorum nonnulli, ut Fronto 1) et Sextus Caecilius jureconsultus 2), ipsi doctrina praestabant, plerique, in his A. Gellius et alii bene multi, quorum nomina non prodita sunt 3), nec philosophiam aliamve disciplinam profitebantur, neque alios docendi causa his studiis vacabant, sed ut homines liberaliter educati, literas tractabant. Hi quotidianam Favorini consuetudinem sectabantur, ut ex iis quae diceret faceretque proficerent. „Cum Favorino, scribit Gellius 4), Romae dies plerumque totos eramus, tenebatque animos nostros homo ille fandi dulcissimus atque eum, quoquo iret, prosequebamur: ita sermonibus usquequaque amoenissimis demulcebat." Ubivis etiam Favorinum cum sectatoribus disputantem offendimus: apud mensam 5), ubi semper fere servus assistens vel Graecarum aliquid literarum vel Latinarum praelegebat; in ambulatione 6), quando aut legebatur aliquid inter ambulandum, aut inscriptio vel alia quaedam res disputandi ansam praebebat; quin comitabantur eum, quum amicum aliquem viseret 7) vel ad salutandum Caesarem iret 8). Etenim „Favorinus sermones in genus communes a rebus parvis et frigidis abducebat ad ea, quae magis utile esset audire ac discere, non allata extrinsecus, non per ostentationem, sed indidem nata acceptaque 9)." In hac autem literata consuetudine 10) Favo-

1) Gell. II. 26. 2) XX. 1.
3) Cff. ex. gr. III. 1. 5, 7; XII. 1; XIII. 24. 2; XVII. 10; XVIII. 1.
4) XVI. 3. 1. 5) II. 22. 1; III. 19. 1.
6) III. 1. 1; XIII. 24; XVIII. 1. 1.
7) II. 26; XII. 1; XVI. 3. 8) IV. 1; XX. 1. 9) IV. 1. 19.
10) E Gell. XII. 1 et XVI. 3 conjicias, Favorinum in consuetudine

rinum agnoscimus immensae doctrinae hominem, sed eundem perquam urbanum et facetum, qui quamvis haud immunis a jactabunda ostentatione, quam interdum in disceptationibus etiam ad res minutiores adhibuit, plerumque tamen philosophum se probabat, qui nec inquirere nec discere supersederet.

Idem etiam publice Romae declamitavit [1]). In his vero declamationibus mirum quam jactabundum sophistam se praestitit, ut qui omni apparatu sophistico auditorum animos delectare et demulcere studeret. Nec frustra illum in hoc elaborasse infra videbimus. Praeterea scholam aperuit, in qua et rhetoricam tradidit et philosophiam. Fuerunt etiam, si quid video, in usum discipulorum conscripti a Favorino libri, qui a Galeno laudantur [3]). Quae res quomodo ei cesserit, hinc facile efficimus, quod qui nobilioribus illius temporis sophistis annumerantur Herodes Atticus [4]) et Alexander ὁ Πηλοπλάτων [5]), e Favorini disciplina profecti esse dicuntur. Adde quod Quadratum τὸν ὕπατον [6]) et Alexandrinum Demetrium [7]) in dicendo Favorini methodum secutos ferunt. Verum age, veteris illius sententiae memores,

Noscitur ex sociis qui non cognoscitur ex se,

paucis de his Favorini discipulis videamus.

---

familiari, quoties non esset sermo de literis Latinis, Graeca lingua usum esse.

1) Philostr. p. 491 (13, 12); Gell. IX. 8. 4; XIV. 1; XVII. 12.

2) Philostr. l. l.

3) Galen. Περὶ ἀρίστης διδασκαλίας I, coll. III et V.

4) Philostr. p. 490, 564 (12, 12; 70, 1); Suidas in voce.

5) p. 576 (79, 14). 6) p. 576 (79, 26) ibique Kays.

7) Galen. Περὶ τοῦ προγιγνώσκειν V (Part. III. p. 455. ed. Basil.).

Omnium igitur quotquot habuit alumnorum nemo fuit Favorino carior Herode Attico, quem a. C. 143 Consulem [1]) in praeceptoribus habuerunt L. Verus et M. Aurelius [2]). Favorinum Herodes non tantum magistri loco habuit, sed patris instar coluit et dilexit. *Πότε σε ἴδω*, — sic ad eum aliquando scripsit, — *καὶ πότε σου περιλείξω τὸ στόμα*; Vicissim Herodem Favorinus tanto amore complexus est, ut illum bibliothecae et domus, quam Romae possidebat, et Autolecythi servi heredem scripserit [3]). Cum Herode Attico Athenis in certamen sophisticum descendit [4]) alter ille, quem modo nominavi, Favorini discipulus, *ὁ Πηλοπλάτων* dictus, Alexander Seleucensis. Actum certamen illud est circa annum 170 [5]), quum Alexander M. Aurelio ab epistolis in Pannoniam ad Imperatorem proficiscebatur. Laudes ejus, quum magnopere a Philostrato sint praedicatae, tum ex hoc certamine eximiae fuerunt et singulares; id quod patet ex admiratione Atheniensium, *τὸ εὔσχημον* ejus imprimis laudantium, maxime vero ex honore, quem datis magnificis donis contulisse in illum fertur ipsius aemulus Herodes. Fuit autem Alexander ut qui maxime germanus Favorini discipulus in arte rhetorica. Quum enim a patre aegrotante arcessitus semidoctus a praeceptore Dionysio discessisset, *Φαβωρίνου γνησιώτατα ἠκρο-*

---

1) Kays. ad Philostr. p. 288.

2) Dio Cass. LXXI. 35; Capitol. Vero II.

3) Philostr. p. 490 (12, 13). Autolecythum ait Philostratus l. l. fuisse natione Indum et admodum nigrum, Herodi autem atque Favorino in deliciis, quod Attica Indicis miscens compotantes eos recrearet, *πεπλανημένῃ τῇ γλώττῃ βαρβαρίζων*.

4) p. 571 (75, 25). 5) Clinton l. l. p. 165.

ἀσατο, παρ᾽ οὗ μάλιστα καὶ τὴν ὥραν τοῦ λόγου ἔσπασεν [1]). Idem vero, philosophiae studium si spectes, multo minus e disciplina Favorini profecisse videtur. Veri enim haud ita dissimile est, quod Bruckerus suspicatur [2]), Alexandro Πηλοπλάτωνος cognomen inditum fuisse, quod quum philosophiae Platonicae amorem in Favorini schola imbibisset, minus eleganter philosopharetur quam declamaret.

Restat dicam ut de Quadrato *τῷ ὑπάτῳ* et de Demetrio Alexandrino, quorum ille fuisse videtur L. Statius Quadratus, qui a. C. 142. Rufini in consulatu collega [3]) postea Proconsulatu in Asia functus est. Ut rhetoris et sophistae mentionem ejus fecit Aristides [4]). A Philostrato, qui eum Vari Pergaei praeceptorem fuisse tradit, commemoratur tanquam *ἀποσχεδιάζων τὰς θετικὰς ὑποθέσεις καὶ τὸν Φαβωρίνου τρόπον σοφιστεύων* [5]). Denique qui Demetrius Ἀλεξανδρεὺς laudatur a Galeno, *ἑταῖρος Φαβωρίνου, δημοσίᾳ λέγων ἑκάστης ἡμέρας εἰς τὰ προβαλλόμενα κατὰ τὴν ἰδέαν τῆς Φαβωρίνου λέξεως*, quidni fuisse eum putemus Demetrium, quem Diogenes Laertius Alexandriae degisse tradit? Τέχνας ῥητορικὰς scripsit, atque opus rhetoricum Περὶ ἑρμηνείας, quod falso alii Phalereo Demetrio tribuerunt, Alexandrino multi adjudicarunt [6]).

Jam ad Favorinum ipsum redeo. Hunc ut Romanorum principes viri magnopere colebant ejusque consuetudine admodum delectabantur, ita non minus in honore habuit

---

1) Philostr. p. 576 (79, 14).
2) Hist. Philos. II. p. 169. Cf. Philostr. p. 573 (77, 5).
3) Clinton l. l. p. 130.
4) Cff. Kays. ad Philostr. p. 331 sq.; Westermann l. l. I. p. 214.
5) p. 576 (79, 25).
6) Diog. Laert. V. § 84, ubi vid. Menag. Cf. Westermann l. l. I. p. 218.

Hadrianus Imperator. „In summa familiaritate, inquit Spartianus[1]), Epictetum et Heliodorum philosophos, et (ne nominatim de omnibus dicam) grammaticos, rhetores, musicos, geometras, pictores, astrologos habuit: prae ceteris (ut multi asserunt) eminente Favorino." In disputationibus, quas cum Imperatore habebat, Favorinus prudentissime sibi cavebat ab invida ejus indole, qua Hadrianus, quum sibi ipse plurimum placeret, supra omnes sapere volebat[2]). Objurgantibus aliquando amicis, quod male cedere Hadriano videretur de verbo, quod idonei scriptores usurpassent, facete respondit, dicens: „Non recte suadetis, familiares, qui non patimini me doctiorem omnibus credere illum, qui habet triginta legiones[3])." Vel sic tamen multum abfuit, ut abjectas adulatoris partes coram Hadriano Favorinus ageret, quippe qui, qua erat urbanitate, temporis et personae rationem haberet. Sic, ut hoc utar, aliquando eo usque processit, ut ipsi Imperatori tecte quidem, admodum festive tamen illuderet. 'Αρχιερεὺς[4]) enim creatus *εἰς τὰ οἴκοι πάτρια* Favorinus, philosophum publicis muneribus immunem esse contendens, ad principem provocavit[5]). Cum autem Hadri-

1) Hadrian. XVI. 2) Cf. Prooem. p. 2.

3) Spartian. Hadr. XV.

4) De *ἀρχιέρεως* munere, quod magna impensa requirebat, cff. Kays. ad Philostr. l. l. p. 489 (11, 23) et imprimis Marquardt, Röm. Alterth. III. 1. p. 269 sqq.

5) De his privilegiis cf. Prooem p. 2. Erat arbitrium penes Imperatorem, si quis ad munus aliquod obeundum a civibus creatus esset. Cf. ex. gr. Philostr. p. 622, (114, 25), ubi Philiscus ab Antonino Caracalla ad munus obeundum condemnatus esse dicitur, quum tamen postea idem Imperator *λειτουργιῶν ἀτέλειαν* concederet Philostrato Lemnio.

anum paratum animadvertisset ad ferendam adversus se sententiam, perinde ac si non esset philosophus, par pari referens, sententiam laturum hoc fere modo antevertit: „Vidi in somnis, inquit, Imperator, quod te celatum nolo. Adstans enim me admonebat de caussa Dio praeceptor, nos non nobis solum natos, sed etiam patriae. Itaque accipio sacerdotium, Imperator, et praeceptori meo morem gero [1])." Quae tota res quum explicanda sit e moribus Hadriani, quippe qui viris doctis nequaquam facilis [2]) per ejusmodi lusus tempus fallere animumque a curis publicis relaxare studeret, Atheniensibus longe alia visa est. Quid enim? Audita rixa, quae Hadriano cum Favorino fuerat, concursu praecipue magistratuum facto, statuam hujus aeneam, ut hominis Imperatori infestissimi, dejecerunt. Qua tamen contumelia nihil commotus Favorinus: „Potius, inquit, etiam Socrati fuisset statua aenea ab Atheniensibus privari quam bibere cicutam [3])."

Quam sive fortunam suam respiciens sive prudentiam, quod Imperatoris iracundi consuetudine usus, prae aliis [4]) sine periculo cum eo altercari sibi liceret, haec tria de se paradoxa praedicare Favorinus solebat: „Quod Gallus Graecum referret, quod spado adulterii accusaretur, quod ab Imperatore dissentiret et viveret tamen." Favorinus enim, quamvis ἀνδρόθηλυς adeo pronus fuisse traditur ad voluptatem, ut adulterii reus factus sit a viro consulari [5]). Licet autem non omnino incredibile sit, Imperato-

1) Philostr. p. 489 (11, 23), unde sua collegisse videtur Niceph. Gregor. XV. 5. 6.

2) Spartian. l. l. XVI.

3) Philostr. p. 490 (12, 3).

4) Cf. Spartian. l. l. XV.

5) Philostr. p. 489 (11, 9).

rem postremo Favorini fastidio affectum quovis modo vexare eum conatum esse adversarios ejus ipsi anteponendo, vix tamen mihi persuadeo, quod tradit Dio Cassius [1]), Hadrianum perdere quidem Favorinum in animo habuisse, sed ei pepercisse, quod nullam legitimam necis causam inveniret. Nequaquam enim id quadrat cum Imperatoris indole, qui, si vehemens odium in aliquem concepisset, haud ita facile iracundiam cohibere soleret.

Superest ut de aetate qua vixerit Favorinus paulo dicam diligentius, quam ut repetam, quod vulgo tradunt, vixisse eum sub Trajano, floruisse praecipue Hadriano imperante [2]). Quum enim Plutarchus libellum Περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ a. c. 106 [3]) Favorino inscripserit, hinc quidem probabiliter efficias, natum Favorinum paulo ante Domitiani principatum, qui incepit ab anno 81, vel hujus principatus initio. Etiam post annum 143, quo Consulatum M. Fronto gessit [4]), in vivis fuisse, e Gellio apparet, ubi se cum Favorino ivisse refert ad M. Frontonem *Consularem* [5]). His vero paucis omnia, quae quidem certa sint, continentur. Nam quod in *Eunucho* [6]) Lucianus Favorinum cogitans refert: Καί τις Ἀκαδημαϊκὸς εὐνοῦχος ἐκ Κελτῶν ὀλίγον πρὸ ἡμῶν εὐδοκιμήσας ἐν τοῖς Ἕλλησιν, inde certe parum proficimus, quod libellus ille ante annum 176 non est editus [7]). Idem fere valet in librum

1) LXIX. 3. ubi itidem Favorino negatam ἀτέλειαν ad hoc grave Hadriani odium refert.

2) Euseb. Chron. Can. II. p. 383 ed. Mai; Syncell. p. 661 ed. Niebuhr; Suidas v. Φαβ. 3) Clinton l. l. p. 93.

4) Niebuhr. Praef. ad Front. p. 22. 5) II. 26 init. 6) VII.

7) Patet ex Eun. III, ubi de salario dicitur annuo, quod M. Aurelium ab Oriente redeuntem circa a. 176 professoribus constituisse docet ibidem

Galeni Περὶ ἀρίστης διδασκαλίας, quem scripsit contra Favorinum vita jam defunctum [1]); sed quo tempore scripserit, ignoramus [2]). Quidquid est, quod ex superioribus colligitur, Favorinum, quo tempore Romae [3]) mortuus est, minimum 64 annos natum fuisse, id ita saltem confirmat Philostratus, ut de eo γηράσκοντι mentionem faciat [4]).

Solanus. Cf. Kayserus Annott. ad Philostr. p. 316 sq. Falsam esse Massoni sententiam, quam ad alterum Luciani locum Solanus affert, e Galeni Progn. III p. 455 colligi, Favorinum obiisse ante annum 163, etsi hoc ipsum negare nolim, verba Galeni legenti continuo appareat. Sermo est de conventu anatomico, cui praeter alios interfuerit Demetrius Alexandrinus, δημοσίᾳ λέγων ἑκάστης ἡμέρας κατὰ τὴν ἰδέαν τῆς Φαβωρίνου λέξεως. Velim scire, cur dicere quis κατὰ τὴν ἰδέαν clarissimi professoris nequeat, nisi hoc ipso mortuo.

1) Patet e verbis εἰ περιῆν, pro quibus vulgo legitur εἴπερ ἦν. Illud rectum videtur et confirmatur loco Lucianeo (Eun. VII), ubi idem scripsit Solanus ex edit. Flor. et cod. L., quamvis hanc alteram lectionem defendere studeat Lehmannus.

2) Tantum ex ipso Galeno Περὶ ἀρ. διδ. V. constat, hunc commentarium conscriptum esse post divulgatos ejusdem Περὶ ἐπιδείξεως libros. Quae enim Ackermannus disputavit in Fabricii Bibl. Graec. ed. Harl. V. p. 399, dudum refutavit Kuhnius in singulari illius libelli editione p. XX.

3) Hoc quidem inde conjicio, quod domum ipse Romae habuit. Cf. p. 15.

4) Philostr. p. 489 (11, 6).

CAPUT II.

FAVORINI STUDIA.

1. *Studia grammatica.*

Laudatur Favorini praeter *egregiam vel divinam quandam memoriam* [1]) πολυμαθία κατὰ πᾶσαν παιδείαν [2]). Sophista enim et philosophus [3]) universam rerum scientiam complectebatur. Artis sophisticae atque ideo bene dicendi imprimis studiosus, omni cura in grammaticam incubuit, tam Latinam quam Graecam; neque enim rudis erat literarum Latinarum neque jurisprudentiae neque omnino rerum Romanarum [4]). Ipse de studiis suis utriusque linguae sic absolvit: „Etiamsi, inquit, opera mihi princeps et prope omnis in literis disciplinisque Graecis

---

1) Gell. XIII. 24. 5. 2) Suidas v. Φαβ.

3) A Gellio Favorinus plerumque philosophus cognominatur; σοφιστὴς dicitur a Luciano Demon. XII, qui idem XIII et Eunuch. VII eum inter philosophos refert. Scribit de illo Philostr. p. 489 (11 in.): ὁμοίως καὶ Φαβωρῖνον τὸν φιλόσοφον ἡ εὐγλωττία ἐν σοφισταῖς ἐκήρυττεν, quod non minus expresse indicat Suidas, eum fuisse dicens φιλοσοφίας μεστὸν, ῥητορικῇ δὲ μᾶλλον ἐπιθέμενον.

4) Gell. XX. 1. 20. „Tu es (sic Favorinum alloquitur Sex. Caecilius JCtus) unus profecto in nostra memoria non Grajae modo, sed Latinae quoque rei peritissimus."

sumta est: non usque eo tamen infrequens sum vocum Latinarum, quas subsicivo aut tumultuario studio colo, ut hanc ignorem *manubiarum* interpretationem vulgariam" [1]). Nec minus diserte alibi: „Haec, inquit, cum philosophiae me dedissem, non insuper tamen habui discere: quoniam civibus Romanis latine loquentibus, rem non suo vocabulo demonstrare, non minus turpe esset, quam hominem non suo nomine appellare" [2]). Quum igitur tantopere curaret, ne rem alia appellaret voce [3]) quam quae probatorum scriptorum auctoritate niteretur, et hos legebat studiose, et sedulo in verba dubia vel inusitata inquirebat [4]); qua tamen in re non ita scriptorum auctoritati serviendum putabat, ut tropica quadam figura mutari vocabulum nollet, sed facere id concederet *scite periteque* facientibus [5]). Qualem verborum delectum qui habiturus sit, is sibi comparaverit necesse est interiorem linguae notitiam; idem neque in philosophia hospes sit neque in jurisprudentia neque in ulla omnino disciplina. Favorino horum nihil admodum defuisse quum ex testimoniis veterum efficias, tum patet e disputationibus, quas de verborum quorundam usu et significatione habuisse fertur, quamvis doctrinae et eloquentiae affectatio in iisdem offendat. De quo diligentius exponere a re non videtur alienum.

1) XIII. 24. 4.
2) IV. 1. 18.
3) IV. 1. 6.
4) III. 16. 19; XIII. 24. 4 sqq.; XVIII. 7. 2, 8; cl. VIII. 14.
5) XIII. 24. 31. Memor fuit Horatiani praecepti: (Epist. ad Pis. 47.):
Dixeris egregie, notum si callida verbum
reddiderit junctura novum.

[illegible] Gellius narrat [1]), summa cum elegantia [illegible]que sermonis comitate et gratia Favori- [illegible] de vento *Iapyge*, qui legeretur in car- [illegible] Quaesitum est e Favorino, quis hic [illegible] ex locis spiraret, et quae tam infre- [illegible]vocabuli ratio esset: petebatur item, ut super [illegible] ventorum nominibus regionibusque ipse doceret [illegible] vulgo neque de appellationibus eorum, ne- [illegible] finibus, neque de numero conveniret. His igitur [illegible] obsecuturus, ventorum nomina tam Latina quam [illegible] eorumque significationes ex coeli limitibus regi- [illegible] designat, additis etiam aliorum sententiis. Non- [illegible] enim, Homerum secuti, e quatuor regionibus qua- [illegible] tantum ventos faciunt, cum ipse, quia sol non indi- [illegible] semper oriatur neque in eundem semper locum cadat, [illegible] statuat ventos, ita ut, pro aequinoctiali, solstitiali [illegible] brumali tempore, Oriente et Occidente in tres regiones [illegible], inter primores duos ad Occidentem et Orien- [illegible] quatuor secundi intersiti sint: alii vero duodecim [illegible], quatuor tertios insuper in media loca inseren- [illegible] ad Meridiem et Septentriones. Deinde agit Favo- [illegible] de aliis quibusdam ventis peculiaribus, quos in- [illegible] in sua quisque regione fecerunt, vel e locorum vocabulis in quibus colant, vel ex alia quadam causa quae ad faciendum vocabulum accidisset, quales sunt Circius Gallorum, Caecias cujus meminit Aristoteles, et in carmine laudatus Ἰάπυξ. Et de hoc quidem vento

1) II. 22. Cf. Apulejus de mundo XIII. in., qui locus vel ab ipso Apu- lejo e Gellio descriptus, vel potius glossema librarii est, quod in textum irrepsit.

ita ille disserit: „Iapygiae ipsius ore proficiscentem quasi finibus Apuli eodem, quo ipsi sunt, nomine Iapygem dicunt. Eum esse propemodum *Caurum* existimo: nam et est occidentalis, et videtur exadversum *Eurum* flare. Itaque Virgilius Cleopatram e navali proelio in Aegyptum fugientem vento Iapyge ferri ait. Equum quoque Apulum, eodem quo ventum vocabulo, *Iapygem* appellavit." Denique disputationem his verbis concludit: „Praeter hos, quos dixi, sunt alii plurifariam venti commenticii et suae quisque regionis indigenae, ut est Horatianus quoque ille *Atabulus*, quos ipse quoque exsecuturus fui; addidissemque eos qui *Etesiae* et *Prodromi* appellitantur, qui certo tempore anni, cum canis oritur, ex alia atque alia parte coeli spirant: rationesque omnium vocabulorum, quoniam plus paulo adbibi, effudissem, nisi multa jam prorsus, omnibus vobis reticentibus, verba fecissem, quasi fieret a me ἀκρόασις ἐπιδεικτική." Spectat sane haec disquisitio rem physicam, sed referri non minus ad grammaticam potest, quippe quae a vetusto carmine exorsa, hujus interpretandi causa instituta esset.

Admodum libenter Favorinus in illos grammatistas invehebatur, qui res ipsas prorsus negligentes magna doctrinae ostentatione de minutiis grammaticis anxie dissererent. „Favorinus, inquit Gellius, sermones in genus communes a rebus parvis et frigidis abducebat ad ea, quae magis utile esset audire ac discere, non allata extrinsecus, non per ostentationem, sed indidem nata acceptaque [1])." Lepidissime aliquando ejusmodi grammatistam redarguit, qui cum arduis superciliis vocisque

1) IV. 1. 19.

et vultus gravitate composita, tanquam interpres et arbiter Sibyllae oraculorum scholica quaedam nugalia ostentabat de variis generibus et flexionibus vocis *penus* 1). „Amabo te, inquit, magister, quidquid est nomen tibi, abunde multa docuisti, quae quidem ignorabamus et scire haud sane postulabamus. Quid enim refert mea ejusque quicum loquor, quo genere penum dicam, aut in quas extremas literas declinem, si nemo id non nimis barbare fecerit? Sed hoc plane indigeo addiscere, quid sit *penus*, et quo sensu id vocabulum dicatur, ne rem cotidiani usus, tanquam qui in venalibus Latine loqui coeptant, alia quam oportet voce appellem." Acriter deinde Favorinus subtili et dialectica percunctatione grammatistam urget, scientiam ejus Socraticum in modum tentans; neque ab eo postulat, quod fecerat ille, ut speciem aliquam de penu dicat, sed ut genere proposito et differentiis appositis definiat, quid sit *penus?* In angustias compulsus ostentator voce jam molli atque demissa perhibet, „se philosophias non didicisse nec discere appetivisse." Et sane difficilis erat quaestio, quae ad grammaticam aeque atque ad jurisprudentiam pertinebat, quamque nec illi quidem veteris juris magistri, ut Q. Scaevola, cujus definitionem affert Favorinus, definivisse satis recte existimabantur. Nec tamen ejusmodi inquisitiones a grammatico praetermittendas esse censebat Favorinus. „Scire, inquit ridens, quid penus sit 2), non ex nostra magis est philosophia quam ex grammatica tua. Meministi enim,

1) IV. 1. 1. cl. VIII. 14.

2) In transitu moneo, *penum* videri esse idem quod ἄρτνος.

credo, quaeri solitum, quid Virgilius dixerit, *penum* instruere vel *longam* vel *longo* ordine."

Similiter alio loco apud Gellium diligenter quaerit de inscriptione, quae erat in fastigiis fori Trajani, ex *manubieis* 1). Respuit Favorinus vulgarem interpretationem, qua manubiae dicantur esse praeda. Haec enim duo verba si idem significarent, neque aliqua parte dissiderent, M. Tullius, verborum homo diligentissimus, in oratione de lege agraria contra Rullum, inani et illepida geminatione junxisset *manubias* et *praedam*. Non autem oratoria quadam figura haec verba sunt posita: nam *praeda* neque ornatius fit additis *manubiis*, neque exaggeratius modulatiusve. Quod ipsum demonstrat porro ampla disputatione, in qua eruditionem ejus et dicendi facultatem omnino mireris licet, doctrinae tamen ostentationem vix laudaveris. Memoriter enim multos dicit locos complurium scriptorum tam Latinorum quam Graecorum, qui verborum coacervationibus usi sint per figuras oratorias; quae tamen exempla in locum Ciceronis non quadrent. Denique res huc redit, ut *praeda* dicantur corpora ipsa rerum quae capta sunt; *manubiae* vero pecunia, a Quaestore e venditione praedae redacta. Utrumque ergo dixit M. Tullius cumulandae invidiae gratia, Decemviros ablaturos persecuturosque et praedam quae nondum esset venundata, et pecuniam quae ex venditione praedae percepta esset. Itaque inscriptio *ex manubieis* declarat e pecunia praedaticia haec facta comparataque esse.

Pepererat sibi hanc tantam ille Latinae linguae et Graecae peritiam non solum assidua optimi cujusque

1) XIII. 24.

scriptoris lectione et studio indefesso, sed etiam eo quod fontes imprimis sectatus, nec rivulos quidem negligebat. Etenim commentarios et libros rerum verborumque veterum diligenter versabat [1]. Quin et ipse ejusmodi adversaria conficiebat et verba colligebat Graeca et Latina, quae communi quidem usu loquentium usurparentur, attamen adulterina et barbara essent neque in veterum libris reperirentur [2]. Non minus igitur in vocabulis Graecis, quae singula ad Atticam dialectum refingere solebat [3], quam in Latinis sollicitum verborum delectum adhibuit, quod ipsum ei exprobravit Domitius Ahenobarbus, doctus et clarus in urbe Roma grammaticus, cui, ut ait Gellius [4], ob naturam intractabiliorem et morosiorem *Insani* cognomen datum. Huic enim quum apud fanum Carmentis obviam venisset Favorinus: „Quaeso, inquit, te, magister, dicas mihi, num erravi, quod, cum vellem δημηγορίας Latine dicere, *contiones* dixi? Dubito quippe et requiro, an veterum eorum, qui electius locuti sunt, pro verbis et oratione dixerit quis *contionem?*" Tum Domitius voce atque vultu atrociore: „Nulla, inquit, prorsus bonae salutis spes reliqua est, cum vos quoque philosophorum illustrissimi, nihil jam aliud quam verba auctoritatesque verborum cordi habeatis. Mittam autem librum tibi, in quo id reperias, quod quaeris. Ego enim grammaticus vitae jam atque morum disciplinas quaero; vos philosophi mera estis, ut M. Cato ait, mortuaria glossaria: namque colligitis lexidia, res tetras et inanes et frivolas, tanquam mulierum voces praeficarum." Anxia

1) XIII. 24. 25; cll. I. 10. 4; I. 21. 4; IV. 1. 17; XVIII. 7. 5.
2) VIII. 2. 3) Galen. περὶ ἀρ. διδ. p. 131, 26. 4) XVIII. 7.

illa vocabulorum cura ea aetate tam in Graecis quam in Latinis literis adhibebatur. In Graecis Atticismus appetebatur; in Latina lingua, quae, ex quo tempore excoli coepta est, majores semper mutationes subiit, plures abstrusum archaismum venabantur. Antiquorum enim simplicitatem sectantes, satis inepte positam illam putabant in affectato antiquatarum dictionum et verborum obsoletorum delectu. Antiquos igitur quum sibi imitandos proponerent, saepius vetustissimos eligebant, quorum verba et dicendi formas tanquam lumina scriptis suis inserebant [1]. Favorinus autem, quamquam antiquae orationis simplicitate et incomta suavitate delectabatur [2], tamen modice vetustorum scriptorum lectioni, ut quae ad linguae peritiam conduceret, indulsit [3]. Ciceronem [4] et Virgilium [5] ceterosque aureae Latinitatis scriptores quum admiraretur, alienus erat ab illorum affectatione antiquitatis, qui nihil elegans neque venustum esse existimabant, nisi quod antiquatum colorem referret. Festive igitur risit adolescentem veterum verborum cupidissimum et plerasque voces nimis priscas et ignotas in quotidianis communibusque sermonibus expromentem. „Cu-

---

1) XI. 7. Hoc studium M. Corn. Fronto, quamquam ante ipsum jam agebatur, imprimis promovit. Cf. ex. gr. Supplem. ad Front. ed. Nieb. p. 42, ubi ejus judicium de Cicerone legitur, in quo desiderat „insperata atque inopinata verba, quae nonnisi cum studio atque cura atque vigilia atque multa veterum carminum memoria indagantur." Idem in Epist. ad M. Caesarem (ed. Nieb. p. 89 sq.): „..... prisco verbo adornares, colorem vetusculum appingeres?"

2) IX. 13. 4; III. 3. 6.

3) XIII. 24. 12; cll. II. 26. 21; V. 11. 12; XIV. 2. 21.

4) III. 16. 19; XIII. 24. 4; XVIII. 7. 2, 8.

5) XVII. 10. 5; cll. I. 21. 4; XII. 1. 20.

rius, inquit, et Fabricius et Coruncanius, antiquissimi viri nostri, et his antiquiores Horatii illi trigemini plane ac dilucide cum suis fabulati sunt; neque Auruncorum aut Sicanorum aut Pelasgorum, qui primi coluisse Italiam dicuntur, sed aetatis suae verbis locuti sunt. Tu autem, proinde quasi cum matre Evandri nunc loquare, sermone abhinc multis annis jam desito uteris, quod scire atque intelligere neminem vis quae dicas. Nonne, homo inepte, ut quod vis abunde consequaris, taces? Sed antiquitatem tibi placere ais, quod honesta et bona et sobria et modesta sit. Vive ergo moribus praeteritis, loquere verbis praesentibus; atque id, quod a C. Caesare, excellentis ingenii ac prudentiae viro, in primo de Analogia libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, ut tanquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens verbum [1])."

Neque ex alio consilio, quam quo rectam vocabulorum notitiam sibi compararet, repetam studium Favorini vertendi accurate Graeca in Latina et contra. Quod quale fuerit, apparet e duabus disputationibus supra laudatis, quarum altera est de nominibus et regionibus ventorum, de versione vocabuli *δημηγορίας* altera. Nec minus illud patet e responso quod Gellio dedit, sciscitanti cur Homerus Neptunum virgini nuper a se compressae haec dicentem faciat (Od. XI. 248 sqq.):

Χαῖρε, γυνή, φιλότητι· περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ
Τέξεις ἀγλαὰ τέκν', ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ
'Αθανάτων.

„Id cum ego, inquit Gellius, ad complures gramma-

1) I. 10. cl. Macrob. Saturn. V. 17.

ticos attulissem, partim eorum disputabant, Homeri quoque aetate, sicuti Romuli, annum fuisse non duodecim mensium, sed decem: alii convenisse Neptuno majestatique ejus dicebant, ut longiore tempore fetus ex eo grandesceret: alii alia quaedam nugalia. Sed Favorinus mihi ait, περιπλομένου ἐνιαυτοῦ non *confecto* esse *anno*, sed *affecto*. In qua re usus est verbo non vulgariae significationis. *Affecta* enim, sicuti M. Cicero et veterum elegantissimi locuti sunt, ea proprie dicebantur, quae non ad finem ipsum, sed proxime finem progressa deductave erant [1])." Alio tempore, quae res itidem huc pertinet, Favorinum comparationem instituere videas inter utriusque linguae copiam; quo quidem nomine, ut sane potuit facillime, Graecae principatum vindicavit [2]). Cum enim apud M. Frontonem Consularem, plerisque viris doctis praesentibus, sermones de coloribus eorumque vocabulis agitarentur: „Plura sunt, inquit Favorinus, in sensibus oculorum quam in verbis vocibusque colorum discrimina. Nam, ut alias eorum concinnitates omittamus, simplices isti et rufi et virides colores singula quidem vocabula, multas autem species differentes habent. Atque eam vocum inopiam in lingua magis Latina video quam in Graeca." Quod cum sermonis patrii amantissimus Fronto in docta solertique disputatione de colorum vocabulis denegasset, tum admodum facete et urbane Favorinus, scientiam rerum uberem verborumque ejus elegantiam exosculatus: „Absque te uno forsitan, inquit, lingua

---

1) Gell. III. 16. Locus Ciceronis, a Favorino dictus, est de Prov. Cons. VIII. 2) II. 26.

profecto Graeca longe anteisset: sed tu, mi Fronto, quod in versu Homerico (Il. XXIII. 382) est id facis:

Καί νύ κεν ἢ παρέλασσας ἢ ἀμφήριστον ἔθηκας.

Vocabulorum significatio ut pendet saepe ab origine, ita ex hac potissimum illam repetere Favorinus solebat, eoque simul scribendi rationem constituebat [1]). Qua in re quo fuerit versatus modo, apparet e ratione qua lectos a se hujus generis scriptores vituperat, indignatus, quod exquisita vocabulorum etyma quaerentes, simplicia quaeque ad manum essent despexissent. Unus horum, verbi causa, Gabius Bassus, vir eruditus, in libro *de origine verborum et vocabulorum* duxerat *parcum* a *par* et *arca*, homo *parcus* quasi *par arcae* nominatus sit [2]). Tum Favorinus, ubi haec audivit, satis acriter: „Superstitiose, inquit, et nimis moleste atque odiose confabricatus commolitusque magis est originem vocabuli Gabius iste Bassus, quam enarravit. Nam, si licet res dicere commenticias, cur non probabilius videatur, ut accipiamus *parcum* ob eam causam dictum, quod pecuniam consumi atque impendi arceat et prohibeat, quasi *pecuniarcus?* Quin potius, quod simplicius veriusque est, id dicimus? *Parcus* enim neque ab *arca* neque ab *arcendo*, sed ab eo quod est *parum* et *parvum* denominatus est."

Cave autem putes, ita in verbis haesisse Favorinum, ut in singulis scriptoribus quae subtiliter et eleganter, quae suaviter et venuste, omnino quae pulchre dicta essent, parum aut attenderet aut curaret. Exemplum hujus rei nos celatum noluit Gellius, pugnam commemorans

---

1) Gell. II. 22. 7 sqq.; III. 19; VIII. 14; XIII. 24. 3; XVII. 10. 18.
2) III. 19.

Manlii Torquati cum Gallo, quam Q. Quadrigarius purissime atque illustrissime, simplici et incomta orationis antiquae suavitate in primo annalium descripsit. „Quem locum, ait ille [1]), Favorinus cum legeret, non minoribus quati afficique animum suum motibus pulsibusque dicebat, quam si ipse coram depugnantes eos spectaret." Etiam diversorum scriptorum orationem inter se comparans, quid cujusque proprium esset notabat. Ita, teste Gellio [2]), *lepide* atque *designate* dixit, hac in parte quid intersit inter Platonis atque Lysiae orationem. „Si ex Platonis, inquit, oratione verbum aliquod demas mutesve, atque id commodatissime facias, de elegantia tamen detraxeris: si ex Lysiae, de sententia." Non tam bene res illi cessit Pindarum et Virgilium inter se comparanti, de quorum poematis judicasse hunc in modum fertur [3]):

„Quae reliquit Virgilius perfecta expolitaque, quibusque imposuit census atque dilectus sui supremam manum, omni poeticae venustatis laude florent; sed quae procrastinata sunt ab eo, ut post recenserentur, et absolvi, quoniam mors praeverterat, nequiverunt, nequaquam poëtarum elegantissimi nomine atque judicio digna sunt. Itaque cum morbo oppressus adventare mortem videret, petivit oravitque a suis amicissimis impense, ut Aeneida, quam nondum satis elimavisset, adolerent [4]). In iis autem, quae videntur retractari et corrigi debuisse, is maxime

---

1) IX. 13. 5. 2) II. 5.

3) XVII. 10, unde Macrobius sua deprompsit. Saturn. V. 17.

4) Pulchre Plinius Nat. Hist. VII. 31.: „Divus Augustus carmina Virgilii cremari contra testamenti ejus verecundiam vetuit: majusque ita vati testimonium contigit quam si ipse sua probavisset." De re ipsa Cf. Forbiger Dissert. de P. Virg. Mar. vit. et carmin. p. 22.

locus est, qui de monte Aetna factus est. Nam cum Pindari carmen, quod de natura atque flagrantia montis ejus compositum est [1]), aemulari vellet, ejusmodi sententias et verba molitus est, ut Pindaro quoque ipso, qui nimis opima pinguique esse facundia existimatus est, insolentior hoc quidem in loco tumidiorque sit. Atque uti vosmet ipsos — sic enim pergit Favorinus auditores compellans, — ejus quod dico arbitros faciam, carmen Pindari (Pyth. I. 21. ed. Dissen.), quod est super monte Aetna, quantulum mihi memoriae est, dicam:

τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλάτου πυρὸς ἁγνόταται
ἐκ μυχῶν παγαί· ποταμοὶ δ' ἀμέραισιν μὲν προχέοντι ῥόον καπνοῦ
αἴθων'· ἀλλ' ἐν ὄρφναισιν πέτρας
φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ ἐς βαθεῖαν φέρει πόντου πλάκα σὺν πατάγῳ.
κεῖνο δ' Ἀφαίστοιο κρουνοὺς ἑρπετὸν
δεινοτάτους ἀναπέμπει· τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέσθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόντων ἀκοῦσαι.

»Audite nunc, inquit, Virgilii versus (Aen. III. 570), quos inchoasse eum verius dixerim quam fecisse:

Portus ab accessu ventorum immotus et ingens
Ipse; sed horrificis juxta tonat Aetna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,
Turbine fumantem piceo et candente favilla,
Adtollitque globos flammarum, et sidera lambit;
Interdum scopulos avulsaque viscera montis

---

1) Favorinum *carminis* nomine significare partem tantum carminis, quam laudat, non est quod moneam; Pindari enim carmen inscriptum est Ἱέρωνι Αἰτναίῳ.

Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exaestuat imo.

„Jam principio, inquit, Pindarus, veritati magis obsecutus, id dixit quod res erat, quodque istic usu veniebat, quodque oculis videbatur, interdiu fumare Aetnam, noctu flammigare: Virgilius autem, dum in strepitu sonituque verborum conquirendo laborat, utrumque tempus, nulla discretione facta, confudit. Atque ille Graecus quidem *fontes imitus ignis eructare* (*eructari?*), *et fluere amnis fumi, et flammarum fulva et tortuosa volumina in plagas maris ferre* (*ferri?*) *quasi quosdam igneos angues*, luculente dixit: at hic noster *atram nubem turbine piceo et favilla fumantem*, ῥόον καπνοῦ αἴθωνα interpretari volens, crasse et immodice congessit: *globos quoque flammarum*, quos ille κρουνοὺς dixerat, duriter et ἀκύρως transtulit. Item quod ait, *sidera lambit*, vacanter etiam hoc, inquit, accumulavit et inaniter. Neque non id quoque inenarrabile esse ait et propemodum insensibile, quod *nubem atram fumare* dixit *turbine piceo et favilla candente.* Non enim fumare, inquit, solent neque atra esse quae sunt candentia; nisi si *candente* dixit pervulgate et improprie pro *ferventi* favilla, non pro ignea et relucenti. Nam *candens* scilicet est a *candore* dictum, non a *calore.* Quod *saxa* autem et *scopulos eructari et erigi*, eosdemque ipsos statim *liquefieri, et gemere, atque glomerari* sub auras dixit, hoc, inquit, nec a Pindaro scriptum nec unquam fando auditum, et omnium, quae monstra dicuntur, monstruosissimum est."

Profecto Favorinus, cum Virgilium, qui potius Lucretium (VI, 690) in his secutus est, Pindari carmen

aemulari voluisse putaret, ex rei ipsius quae depingenda erat natura, utriusque poëtae verbis et dictionibus inter se collatis, nimis anxie pressit singula, suoque Graecarum literarum amore[1]) abreptus esse videtur, ut versus omnibus probatissimos tam inique et tam temere vituperaret.

Ceterum in legendis atque interpretandis scriptoribus non ita versatum esse Favorinum, ut in verbis velut habitaret inque rebus externis desudaret, e superioribus jam potuit colligi. Accurata vocabulorum notitia ipsi potius via erat, qua interiorem scriptorum sententiam et cogitationem assequi studebat. In quo quidem interdum argutam nimis interpretandi rationem secutus est, velut in loco Euripidis (Bacch. 385) a Gellio commemorato[2]):

> Ἀχαλίνων στομάτων
> ἀνόμου τε ἀφροσύνας
> τὸ τέλος δυστυχία.

Quos versus Favorinus putabat, ut ait Gellius, „non de iis tantum factos accipi debere, qui impia aut illicita dicerent; sed vel maxime de hominibus quoque posse dici stulta et immodica blaterantibus, quorum lingua tam prodiga infrenisque sit, ut fluat semper et aestuet colluvione verborum teterrima: quod genus homines a Graecis significantissimo vocabulo *κατάγλωσσοι* appellantur."

In ratione autem, qua Sallustii (B. Cat. XI) hanc sen-

---

1) Huic Favorini in literas Graecas propensioni tribuendum mihi videtur, quod h. l. Pindari imitationem deprehendere sibi visus est, licet ceteroquin ipse ap. Gell. I. 21. 6 (Cf. p. 40) perhibeat, Virgilium in carminibus sui Lucretii auctoritatem non aspernatum esse, atque probe, ut patet ex XII. 1. 20 agnoverit, quaenam Virgilius in carminibus suis consectatus sit.

2) I. 15. 17.

tentiam interpretatur: *ea* (avaritia) *quasi venenis malis imbuta corpus animumque virilem effeminat* [1]), sedulitas agnoscitur hominis, qui ne commune quid proferat, satis insolenter quaestionem dirimat. Eo loco inter ambulandum lecto Favorinus: „Quo, inquit, pacto corpus hominis avaritia effeminat? quid enim istuc sit, quod animum virilem ab ea effeminari dixit, videor ferme assequi; sed quonam modo corpus quoque hominis effeminet, nondum reperio." Tum laudante quopiam interpretationem Valerii Probi, usum esse Sallustium circumlocutione quadam poëtica, et *corpus animumque* pro *homine* dixisse: „Nunquam, inquit Favorinus, quod equidem scio, tam importuna tamque audaci argutia fuit noster Probus, ut Sallustium vel subtilissimum brevitatis artificem periphrasin poetarum facere diceret." Tandem rogatus a Favorino vir quidam doctus, ecquid de loco laudato sentiat, ita rem expedit, ut, quos avaritia corrumpat, eos plerumque in tali vitae genere occupatos esse dicat, quo omnis animi corporisque vigor elangueat; eos vero, qui pecuniae cupientes et *corpore* tamen sint *bene habito et strenuo*, aliarum quoque rerum vel studio vel exercitio teneri, *eorumque omnes partes et affectiones avaritiam solam summam non occupasse.* Quam quaesitam explicationem ubi audivit Favorinus, non minore affectatione usus: „Aut hoc, inquit, quod dixisti, probabile est, aut Sallustius odio avaritiae plus quam potuit eam criminatus est."

Idem prorsus studium, quo praeter res et verba scriptorum dicendi ratio et ingenium probe attenduntur, prodit

---

1) III. 1.

Favorinus, ubi sermo est de lectionis vel libri alicujus veritate. Hac *κρίσει* Virgilianam lectionem [1]) confirmavit, quam in commentario de Virgilio commendabat Julius Hyginus. Quippe negabat Hyginus Virgilii versus, qui sunt Georg. II. 246 sq.:

At sapor indicium faciet manifestus, et ora
*Tristia tentantum sensu torquebit ama*RO,

ita a Virgilio relictos esse, sed quod ipse invenisset in libro, qui fuisset ex domo atque familia Virgilii:

et ora
*Tristia tentantum sensu torquebit ama*ROR.

sapor enim, quum ipse quoque sensus sit, absurde dici videbatur *sensus sensu torquet.* Quae cum ex Hygini commentario audivisset, atque ei statim displicuisset insolentia et insuavitas istius *sensu torquebit amaro*, risit, et: „Jovem lapidem, inquit, paratus sum ego jurare, Virgilium hoc nunquam scripsisse, sed Hyginum dicere ego verum arbitror. Non enim primus finxit hoc verbum Virgilius insolenter, sed in carminibus Lucretii (IV. 222—224 et 928—930) inventum est; nec est aspernatus auctoritatem poetae ingeniŏ et facundia praecellentis."

Ad ejusmodi crisin, quae permagnam linguae peritiam et intimam cum scriptoribus familiaritatem indicat, alius item pertinet Gellii locus [2]), qui satis manifesto indicat, Favorinum cum Varrone aliisque persuasum sibi habuisse, super Plauti fabulis, quae dicerentur ambiguae, nec indicibus Aelii, nec Sedigiti, nec Claudii,

---

1) I. 21. cl. IV. 1. 15. 2) III. 3.

nec Aurelii, nec Attii, nec Manilii credendum esse, *sed ipsi Plauto moribusque ingenii atque linguae ejus.*

Hac igitur norma usus, quum aliquando ipsi *Nervolaria* legeretur et audisset versiculum hunc:

Scrattae, scrupedae, strictivillae, sordidae,

delectatus faceta verborum antiquitate, meretricum vitia atque deformitates significantium: „Vel unus, hercle, inquit, hic versus Plauti esse hanc fabulam satis potest fidei fecisse."

Haec de Favorini studiis grammaticis omnia fere collegimus e sermonibus ejus a Gellio enotatis. Nec desunt quamvis rariora, clara ejusdem curae vestigia in ipsius scriptorum reliquiis [1]). Quodsi quem offendat in his affectatio quaedam et ostentatio, is aliquam certe culpae partem conferat velim in saeculi quo vixit ingenium in multis praeclaris futilia multa sectati.

2. *Studia sophistica.*

Artis sophisticae studio Favorinus magnam dicendi facultatem, facilem certe illam et expeditam orationis copiam debuit, qua eum in consuetudine familiari et in disputationibus grammaticis auditorum animos sibi devinxisse diximus. Cujus rei testem locupletem habemus familiarem ejus Gellium, qui quum in Favorino diserte laudet *summam elegantiam verborum totiusque sermonis comitatem atque gratiam* [2]), tum alio loco: „Haec, inquit, Favorinum dicentem audivi Graeca oratione, cujus

1) Fragm. I. IV. XIV. XX. XXI. XXXVII. XLIV. LVI. LXI.
2) II. 22. 27.

sententias communis utilitatis gratia, quantum meminisse potui, retuli; amoenitates vero et copias ubertatesque verborum Latina omnis facundia vix quidem indipisci potuerit, mea tenuitas nequaquam [1]."

Hoc Favorini orationis flumen in declamationibus, quas Graece plerumque dixisse videtur [2], maxime enituisse, cum per se probabile est, tum scriptorum testimoniis constat. Magna in his adhibita pompa verborum, multum utebatur dialecticis argutiis et inexspectatum insolitumque sectabatur [3]. In quo opere agebat plane jactabundum sophistam, qui omni eruditionis et artis apparatu auditorum animos delectare et mulcere studeret. Nec frustra in hoc elaboravit, siquidem illo Romae dicturo μέστα ἦν σπουδῆς πάντα, et vel ii, qui linguae Graecae ignari essent, ad illum audiendum concurrerent. Hos quoque demulcebat sono vocis, vultus argutiis et enunciationis modulatione; neque vero minus id efficere studebat canticis [4], quibus declamationes concludere solebat [5]. Quae causa fuit, cur aliquando eum lusit Demonax philosophus, quem Favorinus quum audisset recitationes suas, inserta praesertim cantica ut nimis fracta, ignobilia, muliebria nec philosopho digna ridere, quis esset rogavit qui suas disputationes ludibrio ha-

1) XII. 1. 24.

2) Gell. II. 1. 3; IX. 8. 4; XIV. 1; XVII. 12; Philostr. p. 491 (13, 12).

3) Vid. omnino Gell. XIV. 1, cll. IX. 8. 4, XVII. 12; Front. p. 260. Hanc Favorini dicendi rationem magis etiam illustratam videas exemplis, quae praebet Philostratus de Alexandri τοῦ Πηλοπλάτωνος dictione, quae prorsus fuit a Favorino petita. Cf. Philostr. p. 572 (76) sqq.

4) De cantilenis in oratione cf. Prooem. p. 5.

5) Philostr. p. 491 (13, 12) ibique Kays.

beret? Cui Demonax: „Homo, inquit, cujus aures haud facile decipiuntur"[1]). Neque immerito Philostratus consilium, quo ejusmodi canticis uti Favorinus solebat, φιλοτιμίᾳ ejus tribuit. Ceterum, ut fit, orationis flumini nimis indulgens haud raro verbosum et loquacem egisse videtur. Quapropter Timocrati philosopho dicenti: „Ut garrulus est Favorinus iste!" lepide respondit Polemo, simul τὸ εὐνουχῶδες ejus perstringens: „Et prorsus vetula"[2]).

Quamvis autem Favorinus, ut supra vidimus, tanto studio in verborum delectu laboraret, ejusque oratio plena esset eruditionis et leniter facileque flueret[3]), a sermonis tamen puritate non omnino commendabatur. Multi in ea soloecismi notantur et vocabula vulgaria, a probatis scriptoribus Atticis non usurpata[4]). Et miratur adeo Phrynichus, quomodo qui princeps inter Graecos censeretur Favorinus, vocabulo quodam pravo uti potuerit[5]). Quid, quod alibi a Favorino, utpote viro λόγου ἀξίῳ, simili de causa se dicit excruciari[6])?

Subita quoque dicendi facultate Favorinus excelluit, qua in re itidem ejus laudatur εὐροία[7]) et prompta facultas de quovis argumento dicendi[8]). Itaque vix dubium est, quin omnis generis[9]) διαλέξεις et μελέτας egerit[10]), quamquam philosophus imprimis locos com-

---

1) Lucian. Demon. XII. 2) Philostr. p. 541 (52, 4).
3) p. 491 (13, 1) ibique Kayserus.
4) Fragm. LXXIII—LXXV. LXXXIX—CI.
5) Fragm. LXXV. 6) Fragm. XCVIII. 7) Philostr. 491 (13, 2).
8) Galen. Περὶ τοῦ προγιγνώσκειν, Part. III. p. 455.
9) Vid. Prooem. p. 7.
10) Rei confirmandae causa allegare iterum liceat exemplum Alexandri Peloplatonis, germani Favorini discipuli, apud Philostr. in vita.

munes et alia argumenta e philosophia petita tractasse videtur [1]). Ad dissertationes philosophas διάλεξις pertinet, quam Graece Romae habuit adversus Chaldaeos s. genethliacos, qui ex motibus siderum et stellarum fata hominum praedici posse profitebantur [2]). *Egregiam* hanc atque *illustrem orationem* vocat Gellius [3]), qui locorum et argumentorum capita in Latinum conversa servavit. Quae quum ad Favorini disserendi rationem cognoscendam haud parum conducant, digna puto quae hoc loco commemorentur. Res igitur huc redit.

„Disciplinam istam Chaldaeorum [4]) tantae vetustatis non esse, quantae videri volunt, neque eos principes ejus auctoresque esse, quos ipsi ferant; sed id prae-

---

1) Philostr. p. 576 (79, 26). Cf. Prooem. p. 9.

2) XIV. 1. *Chaldaei* dicuntur, *Babylonii*, *genethliaci*, *mathematici*, *planetarii*, *horoscopi*, *judiciarii;* eorum ars *astrologia*, *judiciaria*, Graece ἀποτελεσματική. Cff. Gronovius ad Gellii l. l. et Lindenbr. ad Censorinum *de die natali* VIII.

3) Verbis proxime sequentibus: „exercendine an ostentandi gratia ingenii, an quod ita serio judicatoque existimaret, non habeo dicere," Gellius fortasse urbane magis vindicare Favorini existimationem, quam indicare ostentationem voluit.

4) De Chaldaeis eorumque disciplina cf. Wesseling. ad Diod. Sicul. II. 29-32, p. 142-145; Brucker. Hist. Phil. I. p. 102 sqq. Cum nostro loco conferri meretur Cic. de divin. II. 41-47. Inter illos, qui Favorino recentiores Chaldaeorum disciplinam impugnarunt, imprimis nominandus est Sext. Empiricus Adv. Mathem. lib. V. Inde ab ultimis rei publicae temporibus eorum numerus mirum in modum Romae increvit; quum autem publicis quoque rebus se immiscerent, ob impudentiam saepius Roma interdicti sunt. Cf. Schlosser Gesch. d. a. Welt. III. 1. p. 296. Quantum fidei Favorini etiam aetate iis tribueretur vel hinc efficias licet, quod de Dionysio sophista rumor sparsus fuit, illum Chaldaeorum artibus *memoriae facultatem* discipulis tradidisse. Cf. Philostr. p. 522 (37, 10.)

stigiarum atque offuciarum genus commentos esse homines aeruscatores, et cibum quaestumque ex mendaciis captantes. Atque eos, quoniam viderent terrena quaedam, inter homines sita, coelestium rerum sensu atque ductu moveri; quale est, quod Oceanus quasi lunae comes cum ea simul senescit adolescitque; hinc videlicet sibi argumentum ad persuadendum paravisse, ut crederemus, omnia rerum humanarum et parva et maxima [1]), tanquam stellis atque sideribus evincta, duci et regi. Esse autem nimis quam ineptum absurdumque, ut, quoniam aestus Oceani cum lunae curriculo congruit, negotium quoque alicujus, quod ei forte de aquae ductu cum rivalibus aut de communi pariete cum vicino apud judicem est, ut existimemus, id negotium quasi habena quadam de coelo vinctum gubernari. Quod etsi vi et ratione qua[piam] divina fieri potest, nequaquam id tamen censebat in tam brevi exiguoque vitae spatio quantovis hominis ingenio comprehendi posse et percipi; sed conjectari pauca quaedam, ut verbo ipsius utar, παχυμερέστερον, nullo scientiae fundo concepta, sed fusa et vaga et arbitraria; qualis longinqua oculorum acies est per intervalla media caligantium; tolli enim quod maxime inter deos atque homines differt, si homines quoque res omnis post futuras praenoscerent. Ipsam deinde siderum stellarumque observationem, quam esse originem scientiae suae praedicarent, haudquaquam putabat liquide consistere. Nam si principes Chaldaei, qui in patentibus campis colebant, stellarum motus et vias et discessiones et coetus intuentes, quid ex his efficeretur, observaverunt; procedat, inquit, sane haec di-

1) Exspectabas: et parva et magna, vel et minima et maxima.

sententias communis utilitatis gratia, quantum meminisse potui, retuli; amoenitates vero et copias ubertatesque verborum Latina omnis facundia vix quidem indipisci potuerit, mea tenuitas nequaquam [1])."

Hoc Favorini orationis flumen in declamationibus, quas Graece plerumque dixisse videtur [2]), maxime enituisse, cum per se probabile est, tum scriptorum testimoniis constat. Magna in his adhibita pompa verborum, multum utebatur dialecticis argutiis et inexspectatum insolitumque sectabatur [3]). In quo opere agebat plane jactabundum sophistam, qui omni eruditionis et artis apparatu auditorum animos delectare et mulcere studeret. Nec frustra in hoc elaboravit, siquidem illo Romae dicturo μέστα ἦν σπουδῆς πάντα, et vel ii, qui linguae Graecae ignari essent, ad illum audiendum concurrerent. Hos quoque demulcebat sono vocis, vultus argutiis et enunciationis modulatione; neque vero minus id efficere studebat canticis [4]), quibus declamationes concludere solebat [5]). Quae causa fuit, cur aliquando eum lusit Demonax philosophus, quem Favorinus quum audisset recitationes suas, inserta praesertim cantica ut nimis fracta, ignobilia, muliebria nec philosopho digna ridere, quis esset rogavit qui suas disputationes ludibrio ha-

1) XII. 1. 24.

2) Gell. II. 1. 3; IX. 8. 4; XIV. 1; XVII. 12; Philostr. p. 491 (13, 12).

3) Vid. omnino Gell. XIV. 1, cll. IX. 8. 4, XVII. 12; Front. p. 260. Hanc Favorini dicendi rationem magis etiam illustratam videas exemplis, quae praebet Philostratus de Alexandri τοῦ Πηλοπλάτωνος dictione, quae prorsus fuit a Favorino petita. Cf. Philostr. p. 572 (76) sqq.

4) De cantilenis in oratione cf. Prooem. p. 5.

5) Philostr. p. 491 (13, 12) ibique Kays.

beret? Cui Demonax: „Homo, inquit, cujus aures haud facile decipiuntur" [1]). Neque immerito Philostratus consilium, quo ejusmodi canticis uti Favorinus solebat, φιλοτιμίᾳ ejus tribuit. Ceterum, ut fit, orationis flumini nimis indulgens haud raro verbosum et loquacem egisse videtur. Quapropter Timocrati philosopho dicenti: „Ut garrulus est Favorinus iste!" lepide respondit Polemo, simul τὸ εὐνουχῶδες ejus perstringens: „Et prorsus vetula" [2]).

Quamvis autem Favorinus, ut supra vidimus, tanto studio in verborum delectu laboraret, ejusque oratio plena esset eruditionis et leniter facileque flueret [3]), a sermonis tamen puritate non omnino commendabatur. Multi in ea soloecismi notantur et vocabula vulgaria, a probatis scriptoribus Atticis non usurpata [4]). Et miratur adeo Phrynichus, quomodo qui princeps inter Graecos censeretur Favorinus, vocabulo quodam pravo uti potuerit [5]). Quid, quod alibi a Favorino, utpote viro λόγου ἀξίῳ, simili de causa se dicit excruciari [6])?

Subita quoque dicendi facultate Favorinus excelluit, qua in re itidem ejus laudatur εὐροία [7]) et prompta facultas de quovis argumento dicendi [8]). Itaque vix dubium est, quin omnis generis [9]) διαλέξεις et μελέτας egerit [10]), quamquam philosophus imprimis locos com-

---

1) Lucian. Demon. XII. 2) Philostr. p. 541 (52, 4).
3) p. 491 (13, 1) ibique Kayserus.
4) Fragm. LXXIII—LXXV. LXXXIX—CI.
5) Fragm. LXXV. 6) Fragm. XCVIII. 7) Philostr. 491 (13, 2).
8) Galen. Περὶ τοῦ προγιγνώσκειν, Part. III. p. 455.
9) Vid. Prooem. p. 7.
10) Rei confirmandae causa allegare iterum liceat exemplum Alexandri Peloplatonis, germani Favorini discipuli, apud Philostr. in vita.

munes et alia argumenta e philosophia petita tractasse videtur [1]). Ad dissertationes philosophas διάλεξις pertinet, quam Graece Romae habuit adversus Chaldaeos s. genethliacos, qui ex motibus siderum et stellarum fata hominum praedici posse profitebantur [2]). *Egregiam* hanc atque *illustrem orationem* vocat Gellius [3]), qui locorum et argumentorum capita in Latinum conversa servavit. Quae quum ad Favorini disserendi rationem cognoscendam haud parum conducant, digna puto quae hoc loco commemorentur. Res igitur huc redit.

„Disciplinam istam Chaldaeorum [4]) tantae vetustatis non esse, quantae videri volunt, neque eos principes ejus auctoresque esse, quos ipsi ferant; sed id prae-

---

1) Philostr. p. 576 (79, 26). Cf. Prooem. p. 9.

2) XIV. 1. *Chaldaei* dicuntur, *Babylonii*, *genethliaci*, *mathematici*, *planetarii*, *horoscopi*, *judiciarii*; eorum ars *astrologia*, *judiciaria*, Graece ἀποτελεσματική. Cff. Gronovius ad Gellii l. l. et Lindenbr. ad Censorinum *de die natali* VIII.

3) Verbis proxime sequentibus: „exercendine an ostentandi gratia ingenii, an quod ita serio judicatoque existimaret, non habeo dicere," Gellius fortasse urbane magis vindicare Favorini existimationem, quam indicare ostentationem voluit.

4) De Chaldaeis eorumque disciplina cf. Wesseling. ad Diod. Sicul. II. 29-32, p. 142-145; Brucker. Hist. Phil. I. p. 102 sqq. Cum nostro loco conferri meretur Cic. de divin. II. 41-47. Inter illos, qui Favorino recentiores Chaldaeorum disciplinam impugnarunt, imprimis nominandus est Sext. Empiricus Adv. Mathem. lib. V. Inde ab ultimis rei publicae temporibus eorum numerus mirum in modum Romae increvit; quum autem publicis quoque rebus se immiscerent, ob impudentiam saepius Roma interdicti sunt. Cf. Schlosser Gesch. d. a. Welt. III. 1. p. 296. Quantum fidei Favorini etiam aetate iis tribueretur vel hinc efficias licet, quod de Dionysio sophista rumor sparsus fuit, illum Chaldaeorum artibus *memoriae facultatem* discipulis tradidisse. Cf. Philostr. p. 522 (37, 10.)

stigiarum atque offuciarum genus commentos esse homines aeruscatores, et cibum quaestumque ex mendaciis captantes. Atque eos, quoniam viderent terrena quaedam, inter homines sita, coelestium rerum sensu atque ductu moveri; quale est, quod Oceanus quasi lunae comes cum ea simul senescit adolescitque; hinc videlicet sibi argumentum ad persuadendum paravisse, ut crederemus, omnia rerum humanarum et parva et maxima [1]), tanquam stellis atque sideribus evincta, duci et regi. Esse autem nimis quam ineptum absurdumque, ut, quoniam aestus Oceani cum lunae curriculo congruit, negotium quoque alicujus, quod ei forte de aquae ductu cum rivalibus aut de communi pariete cum vicino apud judicem est, ut existimemus, id negotium quasi habena quadam de coelo vinctum gubernari. Quod etsi vi et ratione qua[piam] divina fieri potest, nequaquam id tamen censebat in tam brevi exiguoque vitae spatio quantovis hominis ingenio comprehendi posse et percipi; sed conjectari pauca quaedam, ut verbo ipsius utar, παχυμερέστερον, nullo scientiae fundo concepta, sed fusa et vaga et arbitraria; qualis longinqua oculorum acies est per intervalla media caligantium; tolli enim quod maxime inter deos atque homines differt, si homines quoque res omnis post futuras praenoscerent. Ipsam deinde siderum stellarumque observationem, quam esse originem scientiae suae praedicarent, haudquaquam putabat liquide consistere. Nam si principes Chaldaei, qui in patentibus campis colebant, stellarum motus et vias et discessiones et coetus intuentes, quid ex his efficeretur, observaverunt; procedat, inquit, sane haec di-

---

1) Exspectabas: et parva et magna, vel et minima et maxima.

sciplina, sed sub ea modo coeli inclinatione, sub qua tunc Chaldaei fuerunt. Non enim potest, inquit, ratio Chaldaeorum observationis manere, si quis ea uti velit sub diversis coeli regionibus. Nam quanta, inquit, partium circulorumque coeli ex devergentia et convexionibus mundi varietas sit, quis non videt? Eaedem igitur stellae, per quas omnia divina humanaque fieri contendunt, sicuti non usquequaque pruinas aut calores cient, sed mutant et variant, tempestatesque eodem in tempore alibi placidas, alibi violentas movent, cur non eventa quoque rerum ac negotiorum alia efficiunt in Chaldaeis, alia in Gaetulis, alia apud Danubium, alia apud Nilum? Per autem, inquit, inconsequens, ipsum quidem corpus et habitum tam profundi aëris sub alio atque alio coeli curvamine non eundem manere; in hominum autem negotiis stellas istas opinari idem semper ostendere, si eas ex quacunque terra conspexeris. Praeterea mirabatur, id cuiquam pro percepto liquere, stellas istas, quas a Chaldaeis et Babyloniis sive Aegyptiis observatas ferunt, (quas multi *erraticas*, Nigidius *errones* vocat) non esse pluris quam vulgo dicerentur. Posse enim fieri existimabat, ut et alii quidam planetae pari potestate essent, sine quibus recta atque perpetua observatio perfici non quiret, neque eos tamen cernere homines possent, propter exsuperantiam vel splendoris vel altitudinis. Nam et quaedam, inquit, sidera e quibusdam terris conspiciuntur, earumque terrarum hominibus nota sunt; sed eadem ipsa ex alia omni terra non videntur, et sunt aliis omnino ignarissima. Atque, uti demus, inquit, et has tantummodo stellas ex una parte terrae observari debuisse;

quae tandem finis observationis istius fuit, et quae tempora satis esse visa sunt ad percipiendum, quid praemonstraret aut coetus stellarum aut circuitus aut transitus? Nam si isto modo coepta fieri observatio est, ut animadverteretur, quo habitu quaque forma quaque positura stellarum aliquis nasceretur; tum deinceps ab ineunte vita fortuna ejus et mores et ingenium et circumstantia rerum negotiorumque et ad postremum finis etiam vitae [ex]spectaretur, eaque omnia, ut usu venerant, literis mandarentur; ac postea longis temporibus, cum ipsae illae eodem in loco eodemque habitu forent, eadem ceteris quoque eventura existimarentur, qui eodem illo [tempore] nati fuissent; si isto, inquit, modo observari coeptum [est] et ex ea observatione composita quaedam disciplina est, nullo id pacto potest procedere. Dicant enim, quot tandem annis, vel potius quot seculis orbis hic observationis perfici quiverit? Constare quippe inter astrologos dicebat, stellas istas, quas *erraticas* dicerent, quae esse omnium rerum fatales viderentur, infinito prope et innumerabili numero annorum ad eundem locum, cum eodem habitu simul omnes profectae sunt, regredi: ut neque ullus observationis tenor neque memoriae ulla effigies literarum tanto aevo potuerint edurare. Atque illud etiam cuimodi esset considerandum putabat: quod aliud stellarum agmen foret quo primum tempore conciperetur homo in utero matris, aliud postea cum in decem mensibus proximis in lucem ederetur; quaerebatque, qui conveniret, diversam super eodem fieri demonstrationem, si, ut ipsi putarent, alius atque alius earundem stellarum situs atque ductus alias atque alias fortunas daret. Sed et nuptiarum tempore, ex quibus

liberi quaererentur, atque ipso etiam illo maris atque feminae coitu, jam declarari oportere dicebat certo quodam et necessario stellarum ordine, quales qualique fortuna homines gignerentur: ac multo etiam ante quam pater ipse et mater nascerentur, ex eorum genitura debuisse jam tum prospici, quinam olim futuri essent, quos hi creaturi forent, et supra longe atque longe per infinitum: ut, si disciplina ista fundamento aliquo veritatis nixa est, centesimo usque abhinc seculo, vel magis primo coeli atque mundi exordio, atque inde jam deinceps, continua significatione, quotiens generis auctores ejusdem homines nascerentur, stellae istae praemonstrare debuerint, qualis qualique fato futurus sit, quisquis hodie natus est. Quo autem, inquit, pacto credi potest uniuscujusque stellarum formae et positionis sortem atque fortunam uni omnino homini certam destinatamque esse, eamque formam post longissima seculorum spatia restitui, si vitae fortunarumque ejusdem hominis indicia, in tam brevibus intervallis, per singulos majorum ejus gradus perque infinitum successionum ordinem, tam saepe ac tam multipliciter eadem ipsa, non eadem stellarum facie denotantur? Quod si id fieri potest, eaque diversitas atque varietas admittitur per omnis antiquitatis gradus, ad significanda eorum hominum, qui post nascentur, exordia: imparilitas haec turbat observationem, omnisque ratio disciplinae confunditur. Jam vero id minime ferendum censebat, quod non modo casus et eventa quae evenirent extrinsecus, sed consilia quoque hominum ipsa et arbitrarias et varias voluntates appetitionesque et declinationes, et fortuitos repentinosque in levissimis rebus animorum impetus recessusque, moveri agi-

tarique desuper e coelo putarent: tanquam quod forte ire in balneas volueris, ac deinde nolueris, atque id rursum volueris, non ex aliqua dispari variaque animi agitatione, sed ex necessaria quadam errantium siderum reciprocatione contigerit; ut plane homines non quod dicitur λογικὰ ζῷα, sed ludicra et ridenda quaedam νευρόσπαστα esse videantur, si nihil sua sponte, nihil arbitratu suo faciunt, sed ducentibus stellis et aurigantibus. Ac si, inquit, potuisset praedici affirmanter, Pyrrhusne rex an Manius Curius proelio victurus esset, cur tandem non de alea quoque ac de calculis et alveolo audent dicere, quisnam ibi ludentium vincat? An videlicet magna sciunt, parva nesciunt, et minora majoribus imperceptiora sunt? Sed si magnitudines rerum sibi vindicant, magisque esse perspicuas et facilius comprehendi posse dicunt, volo, inquit, mihi respondeant, quid in hac totius mundi contemplatione, praestantis naturae operibus, in tam parvis atque brevibus negotiis fortunisque hominum magnum putent; atque id velim etiam, inquit, ut respondeant: si tam parvum atque rapidum est momentum temporis, in quo homo nascens fatum accipit, ut in eodem illo puncto sub eodem circulo coeli plures simul ad eandem competentiam nasci non queant, et si idcirco gemini quoque non eadem vitae sorte sunt, quoniam non eodem temporis puncto editi sunt; peto, inquit, respondeant, cursum illum temporis transvolantis, qui vix cogitatione animi comprehendi potest, quonam pacto aut consulto assequi queant aut ipsi perspicere et deprehendere, cum in tam praecipiti dierum noctiumque vertigine minima momenta ingentes facere dicant mutationes. Ad postremum autem et quid esset, quod ad-

versum hoc dici posset, requirebat: quod homines utriusque sexus omnium aetatum, diversis stellarum motibus in vitam editi, regionibus, sub quibus geniti sunt, longe distantibus, omnes tamen isti, aut hiantibus terris aut labentibus tectis aut oppidorum expugnationibus aut eadem in navi fluctu obruti, eodem genere mortis eodemque ictu temporis universi simul interirent. Quod scilicet, inquit, nunquam eveniret, si momenta nascendi singulis attributa suas unumquodque leges haberent. Quod si quaedam, inquit, in hominum morte atque vita etiam diversis temporibus editorum, per stellarum pares quosdam postea conventus paria nonnulla et consimilia posse dicunt obtingere, cur non aliquando possint omnia quoque paria usu venire: ut existant per hujuscemodi stellarum concursiones et similitudines Socratae simul et Antisthenae et Platones multi, genere, forma, ingenio, moribus, vita omni et morte pari (pares?)? Quod nequaquam, inquit, prorsus fieri potest. Non igitur hac causa probe uti queunt adversum hominum impares ortus, interitus pares. Illud autem condonare se iis dicebat, quod non id quoque requireret, si vitae mortisque hominum rerumque humanarum omnium tempus et ratio et causa in coelo et apud stellas foret, quid de muscis aut vermiculis aut echinis multisque aliis minutissimis terra marique animantibus dicerent? an ista quoque iisdem quibus homines legibus nascerentur, iisdemque itidem exstinguerentur: ut aut ranunculis quoque et culicibus nascendi fata sint de coelestium siderum motibus attributa; aut, si id non putarent, nulla ratio videretur, cur ea siderum vis in hominibus valeret, deficeret in ceteris."

"Haec nos — dicere Gellius pergit — sicca et incondita et propemodum jejuna oratione attingimus. Sed Favorinus, ut hominis ingenium fuit, utque est Graecae facundiae copia simul atque venustas, *latius* ea et *amoenius* et *splendidius* et *profluentius* exsequebatur, atque identidem commonebat ut caveremus, ne qua nobis isti sycophantae ad faciendam fidem irreperent, quod viderentur quaedam interdum vera effutire aut spargere. Non enim comprehensa, inquit, neque definita neque percepta dicunt; sed lubrica atque ambagiosa conjectatione nitentes, inter falsa atque vera pedetentim quasi per tenebras ingredientes eunt; et aut multa tentando incidunt repente imprudentes in veritatem, aut ipsorum, qui eos consulunt, multa credulitate ducente perveniunt callide ad ea, quae vera sunt; et idcirco videntur in praeteritis rebus quam in futuris veritatem facilius imitari. Ista tamen omnia, quae aut temere aut astute vera dicant, prae ceteris, inquit, quae mentiuntur, pars ea non sit millesima. — Idem Favorinus, deterrere volens ac depellere adolescentes a genethliacis istis et quibusdam aliis id genus, qui prodigiosis artibus futura omnia dicturos[se] pollicentur, nullo pacto adeundos eos esse consulendosque, hujuscemodi argumentis concludebat. Aut adversa, inquit, eventura dicunt aut prospera. Si dicunt prospera et fallunt, miser fies frustra exspectando. Si adversa dicunt et mentiuntur, miser fies frustra timendo. Sin vera respondent eaque sunt non prospera, jam inde ex animo miser fies antequam e fato fias. Si felicia promittunt eaque eventura sunt, tum plane duo erunt incommoda: et exspectatio te spe suspensum fatigabit, et futurum gaudii fructum spes tibi

jam praefloraverit. Nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus, res futuras praesagientibus."

Denique ab eloquentia, qua delectatum fuisse Favorinum vidimus, quis alienum putat studium de eodem argumento, sophistarum more, disputandi in contrarium [1], studiumque dicendi de ἀδόξοις ὑποθέσεσιν? Sunt eae, ut verbis utar Gellianis, „infames materiae, sive quis mavult dicere inopinabiles," quas „et veteres adorti sunt, inquit, non sophistae solum, sed philosophi quoque; et noster Favorinus oppido quam libens in eas materias dicebat, vel ingenio expergificando ratus idoneas, vel exercendis argutiis, vel edomandis usu difficultatibus" [2]. In his enim nugis tractandis ipsa deterior causa oratoriae facultatis laudem augebat, eoque paratior, ornatior, copiosior ad res praeclaras accessurus esse videri orator debebat, quo probabilius diceret, ubi propter rei improbitatem aut tenuitatem eum deficeret materia [3]. Et Favorinus quidem excelluisse videtur arte ejusmodi argumenta flosculis, quibus indigebant, exornandi: quam procul dubio respicit Fronto, ubi ἄδοξον ὑπόθεσιν de *negligentiae laude* tractans dicit, non opus esse se descriptioni suae *appingere pigmenta fuci* secundum methodum Favorini [4]. Eandem Favorini facultatem notans Gellius [5] haec testatur: „Cum Thersitae laudes quaesivit, et cum febrim quartis diebus recurrentem laudavit,

1) Hoc quomodo colligam ex Stob. Tit. CXVI. 44, in Capite de Favorini scriptis videbimus. 2) XVII. 12. 1.

3) De illis cff. loci laudati Prooem. p. 4.

4) p. 260. Ita hic locus, e quo ceteroquin nonnulla exciderunt, mihi interpretandus videtur. 5) l. l. (Fragm. LXV.)

lepida sane multa et non facilia inventu in utramque partem dixit, eaque scripta in libris reliquit. Sed in febris laudibus testem etiam Platonem produxit, quem scripsisse ait, qui quartanam passus convaluerit viresque integras recuperaverit, fidelius constantiusque postea valiturum. Atque inibi [in] iisdem laudibus non hercle hac sententiola invenuste lusit. Versus, inquit, est longo hominum aevo probatus:

ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

„Eo versu significatur, non omni die bene esse posse, sed isto bene atque alio male. Quod cum ita sit, inquit, ut in rebus humanis bene aut male vice alterna sit, haec biduo medio intervallata febris quanto est fortunatior, in qua est *μία μητρυιά, δύο μητέρες*?" Favorini aequalibus acceptissimae fuerunt ejusmodi argutiae. Hinc ingentes omnium clamores, inter quos, Gellio teste [1]), audivere sententiam, *multis egere qui multa habeat*, a Favorino detornatam inclusamque verbis his paucissimis: *Τὸν γὰρ μυρίων καὶ πεντακισχιλίων χλαμύδων δεόμενον οὐκ ἔστι μὴ πλειόνων δεῖσθαι· οἷς γὰρ ἔχω προσδεόμενος, ἀφελὼν ὧν ἔχω, ἀρκοῦμαι οἷς ἔχω.*

Sed haec hactenus. Studiis sophisticis ita inclaruisse Favorinum, ut si non princeps, in principibus certe aetatis suae sophistis censeretur, ex disputatione nostra satis pateat. Hoc unum addo, quod nemo mirabitur, sophisticum hunc, ut ita dicam, colorem, qui cernitur in ejus ratione dicendi, latius etiam esse diffusum, atque adeo in ceteris ejus studiis manifesto apparere.

---

1) IX. 8 (Fragm. LXXXI).

3. *Studia philosopha.*

In philosophia Favorinus Academiae sectatorem se professus est [1]). Hujus autem scholae qui Carneadis placita sequebantur, eos ad Pyrrhoneorum σκέψιν proxime accessisse novimus. Veritatis enim criterium in sola per se mente repositum esse negabant, siquidem quas res mens judicet, eas antea ad mentem per visa, quae eam afficiant, pervenerint necesse sit. Cum igitur mentis judicium prorsus a visis pendeat, et unumquodque visum aeque verum ac falsum esse possit, nullum dari certum veritatis criterium neque in mente neque in sensibus [2]). Atque eatenus quidem ad Carneadis placita de facultatibus comprehendendi Favorinus accessisse videtur. Ut ille sustulit omne mentis et sensuum criterium, dicens πιθανὸν ἑαυτῷ φαίνεσθαι μηδὲν εἶναι καταληπτόν, idemque Stoicorum κατάληψιν, quae καταληπτικῇ φαντασίᾳ nitebatur [3]), impugnavit. Ipsam καταληπτικὴν φαντασίαν, quam e visis ducebant Stoici et pro veritatis criterio habebant, ἀνύπαρκτον εἶναι demonstrare aggressus, eo usque provexit ἐποχήν, ut ne solem quidem comprehensibilem esse concederet [4]).

---

1) Gell. XX. 1. 9, ubi Sex. Caecilio JCto: „Noli, inquit Favorinus, ex me quaerere, quid ego existimem; scis enim solitum esse me pro disciplina sectae, quam colo, inquirere potius quam decernere." Ad quae ille „Sed, quaeso, tecum tamen, inquit, degrediare paulisper e curriculis istis disputationum vestrarum Academicis." cet. Cff. Galenus Περὶ ἀρ. διδασκ. p. 131 sq., Lucian. Eunuch. VII.

2) Ritter, Gesch. d. Philos. III. p. 673 sqq.

3) De καταλήψει et καταληπτικῇ φαντασίᾳ cff. Cicero Acad. II. 6. et Diog. Laert. VII. 1. 46.

4) Galen. l. l. et p. 138, 17.

Nihilominus idem simul εἶναί τι βεβαίως γνωστὸν statuit. Disertis adeo verbis Galenus Favorino exprobrat, quod omni criterio mentis et sensuum sublato, non fuerit ἐποχῇ contentus, sicut antiquiores [1]) Academici, qui eam semper et in omnibus servandam esse statuissent, sed novum quid, εἶναί τι βεβαίως γνωστόν, addiderit. Vituperat etiam illud, quod non solum διδασκαλίαν admiserit, sed quod eam amplexus institutionem, quae in utramque partem de omnibus disputaret atque adeo ab ἐποχῇ s. ἀοριστίᾳ principium duceret, tamen discipulis aliquid tanquam γνωστὸν eligendum praeceperit [2]).

Cum autem Galenus non tantum Favorinum, sed universe Academicos, qui ipsius aetate vivebant, hujus inconstantiae insimulet [3]), conjicias inde, inconstantiam istam repetendam esse e studio, quo cum veteris Academiae placitis placita recentioris scepsis suo arbitratu conciliare studebant οἱ νεώτεροι Ἀκαδημαϊκοί. Colebatur enim illis temporibus praecipue a Platonicis eclecticismus [4]), qui,

1) παλαιοτέρους, πρεσβυτέρους Ἀκαδημαϊκοὺς Galenus vocat, Carneadis sive novae Academiae sectatores respiciens, quibus opponit τοὺς νεωτέρους Ἀκαδημαϊκούς, Favorini aequales.

2) Praeterquam l. l. Galenus Favorini inconstantiam reprehendit imprimis p. 132. 20—133. 10; 134. 28—135. 14; 135. 24—136. 4; 137. 18—138. 15.

3) l. l. 131. 8.

4) Jam inde a Philone, quartae quae dicitur Academiae auctore, vix Platonis vel Carneadis genuina placita apud Academicos offendas; sed magis etiam id valet in aetatem post Chr. natum. Eorum qui verius philosophabantur memorare sufficiat Plutarchum et Maximum Tyrium. Plutarchus enim, qui et ipse eclecticus fuit, saepius scepticorum more disserit, et in scriptis ejus deperditis plura numerantur, quae ad scepticorum disciplinam pertinuerunt. Nec raro inconstantiae accusandus est. Maximus Tyrius autem, qui suo modo πλατωνίζει, interdum etiam scep-

quamvis apud alios alius, universe tamen cernitur in studio contraria philosophorum placita in concordiam redigendi. De Favorino ut idem sentiamus, adducimur partim eo quod Plutarchum aemulari studuit, et sicut ille Platonem magni fecit et Pythagoram [1]), partim vero et maxime quidem eo quod philosophiam philologi more tractans *ἐπιχείρησιν* illam ad eclecticismum adhibuit [2]). Hinc eum compellans Galenus: Μὴ *τοίνυν ἔτι προσποιοῦ*, inquit, *γιγνώσκειν τι μήδ' ἀποφάναι, μήδ' ἀποδίδρασκε τὴν ὑπὸ τῶν πρεσβυτέρων Ἀκαδημαϊκῶν εἰσαγομένην ἐποχὴν, μηδὲ σεμνύνου γραμματικοῦ ποιῶν ἔργον, ἃ μὲν εἰρήκασιν οἱ πρόσθεν ἐκμεμελετηκώς* [3]).

Ita assequimur, qui factum sit ut quum, de cognoscendi et comprehendendi facultatibus ageret, modo Pyrrhoneorum [4]) et novae Academiae placita contra *καταληπτικὴν φαντασίαν* explicans, modo de ratione ac natura Academiae [5]), de ideis [6]) etiam et de Platone [7]) disserens, fluctuaret inter utrumque, sitne an non sit aliquid quod certo cognosci possit.

---

ticum agit. Nullum esse inter Platonicos et Peripateticos discrimen, invaluerat opinio, quam Taurus et Atticus impugnaverunt.

1) Gellium modo audivimus narrantem, ut rem memoratu dignam, Platonem quoque a Favorino citatum esse testem in laudibus febris quartanae. Ipse Favorinus refert (ap. Gell. XX. 1. 4), se cupide legisse decem libros Platonis de Legibus. Cf. Stob. Tit. LXV. 8 (Fragm. LXXXV). Apud eundem in dissertatione Περὶ γήρως, Tit. CXV. 17 (Fragm. LXVII.) scribit Favorinus: „Οὐδὲ γὰρ τοῦτο ἐάσω ἄῤῥητον, ὅτι καὶ Πλάτωνι καὶ Πυθαγόρᾳ δοκεῖ κτέ. Quae haud parum Favorini propensionem in Pythagoram et Platonem indicant.

2) p 132. 29; 134. 31. 3) p. 135. 8.

4) Gell. XI. 5; Philostr. p. 491 (13. 10); Diog. Laert. IX. 11. 87.

5) Galen. l. l. 6) Phrynich. p. 248 (Fragm. LXXIV).

7) Suidas v. Φαβωρ.

Hunc Favorini eclecticismum probat Plutarchus Quaest. Conviv. VIII, 10, ubi non solum animo tribuitur divinandi facultas in insomniis, sed etiam Favorinus Aristotelis studiosissimus fuisse traditur et in Peripateticorum sectam admodum propensus [1]). Operae pretium est ipsum locum afferre, ubi inducitur Favorinus cum Floro, Plutarcho ejusque filiis disputans.

Narrat Plutarchus, filios suos causam, cur iis maxime mensibus, quibus defluunt folia, insomnia sint incerta et mendacia, secundum Aristotelem ex usu fructuum recentium repetisse. Ὁ δὲ Φαβωρῖνος αὐτὸς (sic enim pergit Plutarchus) *τὰ μὲν ἄλλα δαιμονιώτατος Ἀριστοτέλους ἐραστής ἐστι, καὶ τῷ Περιπάτῳ νέμει μερίδα τοῦ πιθανοῦ πλείστην· τότε μέντοι λόγον τινὰ τοῦ Δημοκρίτου παλαιὸν, ὥσπερ ἐκ καπνοῦ καθελὼν ἠμαυρωμένον, οἷος (τ') ἦν ἐκκαθαίρειν καὶ διαλαμπρύνειν.* Posuit igitur pervulgatum hoc Democriti placitum: „visa per meatus in corpora se insinuare, ac dum sursum efferuntur, facere ut in somno appareant simulacra: visa autem ista undique effluere, a supellectile, vestimentis, plantis, maxime autem ab animalibus ob motionem multam et calorem, eaque non solum expressas corporum effigies, sed etiam motuum animi, consiliorum affectionumque tam lenium quam vehementium imagines secum ferre,

---

1) Aristoteles naturali divinationi, somniis et furori mentis, fidem tribuit. Cf. Davisius ad Cic. de Divin. I. 3.

2) Perperam nonnulli viri docti hoc loco ita usi sunt, ut non Arelatensem, sed alterum Favorinum, Peripateticum, Plutarchi amicum facerent, quod verbo monuisse sufficiat. Cf. p. 14. Ceterum jam e nonnullis indiciis, quae apud Gellium cernuntur, efficere licet, Favorinum Peripateticorum placitis studuisse. Cff. I. 3. 27; II. 12. 5, cl. 1; II. 22. 24; XVIII. 1. 12; 7. 4.

atque ita, quum visa illa velut animata ad animum accidunt, accipientibus significare et transmittere opiniones, cogitationes, conatus eorum, a quibus sint emissa, quandoquidem articulatas nec confusas imagines afferentia ad animum accedant." Id autem, ait, tum maxime fit, cum per aërem serenum motu expedito et celeri feruntur. Aër vero autumnalis, quando folia defluunt, admodum inaequalis est et procellosus, ideoque visa varie disjicit et eorum evidentiam ob tarditatem, qua feruntur, evanidam reddit et imbecillam; ut contra recentes et significantes notitias exhibent visa, quando multa et velociter effluunt e turgentibus et calidis. Quae quum Favorinus exposuisset, oculis in Autobulum ejusque socios conversis: *'Αλλ' ὁρῶ*, inquit, *ὑμᾶς οἵους τ' ὄντας ἤδη σκιαμαχεῖν πρὸς τὰ εἴδωλα, καὶ δόξῃ παλαιᾷ καθάπερ γραφῇ προςφέροντας ἀφὴν* (l. *βαφὴν*) *οἴεσθαί τι ποιεῖν.* Tum Autobulus, licet paulo ante ipsi nodum solvisse Aristoteles visus esset, hujus sententiam impugnare aggressus, sic Favorinum compellavit: „Desine simulare adversus nos; non enim nescimus te, quia sententiam Aristotelis probari cupis, tanquam umbram ei opinionem Democriti comparavisse. Alio igitur nos vertamus, et Aristoteliam impugnemus sententiam, quae novas fruges et suavia poma immerito incusat."

Ceterum Plutarchus, ut non temere librum *Περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ* Favorino inscripserit, ita eclecticam hujus philosophandi rationem satis in epilogo indicat. Complurium enim philosophorum, quorum alii, ut Stoici, *primum frigidum* aëri tribuebant, aquae alii, ut Empedocles et Stratocles, sententiis exploratis poetarumque testimoniis illustratis, Plutarchus paucis examinat sententiam

Chrysippi, censentis item, vim primam aëri tribuendam esse, atque inde etiam tenebrosum esse aërem. Hic autem mentionem facit dumtaxat illorum, qui aquam longius ab aethere distare dicerent quam aërem; contra quos aliquid dicturus: „Hoc pacto, inquit, terram etiam *primum frigidum* esse diceremus, quia longissime ab aethere abest." Hanc igitur rationem tanquam plane absurdam repudiat atque rejicit. Plutarcho vero quum pro terra quoque probabilia et verisimilia argumenta afferri posse videantur, his allatis, primum ponens illud ipsum, quo Chrysippus pro aëre usus erat, hunc facit disputationi finem: Ταῦτα, ὦ Φαβωρῖνε, τοῖς εἰρημένοις ὑφ' ἑτέρων παράβαλλε· κἂν μήτε λείπεται τῇ πιθανότητι, μήτε ὑπερέχῃ πολύ, χαίρειν ἔα τὰς δόξας, τὸ ἐπέχειν ἐν τοῖς ἀδήλοις τοῦ συγκατατίθεσθαι φιλοσοφώτερον ἡγούμενος.

Ex his verbis, quibus Plutarchus Favorinum sedere arbitrum jubet in quaestionibus physicis, nec minus in ipsa libri dedicatione, idoneum petimus argumentum pro rerum physicarum et studio et scientia, quam ille tribuit Favorino. Idem testatur cum diligens studium, quo in Aristotelis scripta incubuit, tum ea quam supra memoravi disputatio de ventis eorumque regionibus [1]) et dissertatio de Chaldaeis, quorum argumenta physicis etiam rationibus redarguit; idem denique testatur liber, quo demonstrare studuit μηδὲ τὸν ἥλιον εἶναι καταληπτόν [2]). In hoc enim, ut in ceteris scriptis, quibus egit de facultatibus cognoscendi, praeter alias rationes etiam physicas adhibuerit necesse est.

Ut solebant antiqui cum studiis physicis conjungere

---

1) p. 26. 2) Galen. l. l. p. 131, 138. 15.

quaestiones psychologicas et physiologicas, ita non mirum, his quoque disciplinis Favorinum studuisse. Ad psychologiam saltem revocari quaestio potest, quam in superioribus [1]) tetigi, de animi divinatione in insomniis. Ad physiologiam dissertatio pertinet, qua argumentis, tum aliunde, tum *e natura animi et corporis humani* eorumque *mutuo vinculo* petitis, nobili feminae suasit, uti infantes quos peperisset filia, non adhibitis nutricibus, sed suo lacte mater aleret [2]). Eodem refero, quae, Gellio teste [3]), Graeca oratione disseruit multa cum medicis, quum aegrum quendam visum ivisset. Arguunt haec evidentissime, non ita hospitem in physiologia fuisse Favorinum, quin quae medicorum principes, ut in Διαιρέσεσιν Eresistratus, scripto mandaverant, lecta probeque cognita haberet. Ipsa verba Favorini adscribam, sicut e Graecis a Gellio sunt conversa. „Ac ne hoc quidem," inquit, „mirum videri debet, quod cum antehac (aeger) semper edundi fuerit appetens, nunc, post imperatam inediam tridui, omnis ejus appetitio pristina elanguerit. Nam quod Erasistratus scriptum, inquit, reliquit, propemodum verum est: esuritionem faciunt inanes patentesque intestinorum fibrae, et cava intus ventris ac stomachi vacua et hiantia; quae ubi aut cibo complentur aut inanitate diutina contrahuntur et connivent, tunc loco, in quem cibus capitur, vel stipato vel adducto, voluntas capiendi ejus desiderandique restinguitur. Scythas quoque, ait

---

1) p. 57.

2) Gell. XII. 1. Monet Lion, cujus editione in laudandis locis Gellianis ubivis usus sum, digna haec visa esse viro docto J. L. Moreau, quae e Latinis in Gallica verteret, *Mém. de la Société Médic.* An. 5. p. 389 sqq. 3) XVI. 3.

eundem Erasistratum dicere, cum sit usus ut famem longius tolerent, fasciis ventrem strictissime circumligare. Ea ventris compressione esuritionem posse depelli creditum est."

Quemadmodnm universe vis, quam in Academicorum philosophiam hac aetate exercuerunt Romani, praecipue cernitur in diligentiore ethices studio, ita quoque in hac praesertim philosophiae parte multum operae collocavit Favorinus. Et quamquam de placitis, quae ad subtiliores ethicae quaestiones pertinent, perparum habemus compertum, Favorinum tamen has non aspernatum esse, cum ex tota ejus philosophandi et disserendi ratione conficere licet, tum indicat etiam Gellii locus [1]), ubi quaesitum esse aliquando refert inter duos philosophos, Stoicum et Peripateticum, quantum ad perficiendum vitam beatam virtus valeret, quantumque esset in iis quae dicuntur extranea. Erant hi Favorini familiares, et acriter atque contente pro suis uterque decretis, arbitro Favorino, pugnabant. Praeter alia igitur, quae minuta magis atque nodosa, pro sua utrumque sententia attulisse tradit Gellius, Peripateticum dicit hac usum esse argumentatione: „Rogo te cum bona venia respondeas, an existimes, esse vini amphoram, cum abest ab ea unus congius?" [Hoc ubi accepit Stoicus:] „Minime, inquit, vini amphora dici potest, ex qua abest congius." Hoc ubi accepit Peripateticus: „Unus igitur, inquit, congius amphoram facere dici debebit, quoniam cum deest ille unus, non fit vini amphora; et cum accessit, fit amphora. Quod si id dicere absurdum est,

---

1) XVIII. 1.

uno congio solo fieri amphoram, itidem absurdum est, una sola virtute vitam fieri beatam dicere: quoniam, cum virtus abest, beata esse vita nunquam potest." Tum vero Favorinus, qua erat in dialecticis subtilitate, perspecto statim sophismate [1]), Peripateticum adspiciens: „Est quidem, inquit, argutiola haec, qua de congio vini usus es, exposita in libris; sed, ut scis, captio magis lepida, quam probum aut simile argumentum videri debet. Congius enim, cum deest, efficit quidem, ne sit justae mensurae amphora: sed cum accedit et additur, non ille unus facit amphoram, sed supplet. Virtus autem, ut isti dicunt, non accessio neque supplementum, sed sola ipsa vitae beatae instar est: et propterea vitam beatam sola una, cum adest, facit."

Quae de Favorini ethica habemus comperta, pleraque ad vitae praecepta pertinent, atque eundem prae se ferunt eligendi morem, quem supra in ceteris ejus studiis philosophis agnoscere nobis visi sumus. In his eam tenuisse videtur viam, ut quaque in re consideraret, quid tuendum esset, quid redarguendum, quid aptum hominem redderet, ut, salva honestate, diversis vitae casibus sese accommodaret. Quam rationem cum Favorini vita et mores prae se ferunt, tum vero etiam testantur effata ejus, quae passim apud Gellium legimus. Sic alicubi innuit,

---

1) Simili modo Favorinus (Gell. V. 11.) sophisma deprehendit in Biantis syllogismo *de re uxoria*, qui vulgo antistrephon esse videbatur. Cum enim rogatus a quodam esset Bias, deberetne uxorem ducere, an vitam vivere coelibem: Ἤτοι, inquit, *καλὴν ἕξεις ἢ αἰσχράν· καὶ εἰ καλὴν, ἕξεις κοινήν· εἰ δὲ αἰσχρὰν, ἕξεις ποινήν· ἑκάτερον δὲ οὐκ ἀγαθόν· οὐ ληπτέον ἄρα.* De quo tamen syllogismo quid senserit Favorinus exponere, longum est, et satius lectorem ad Gellii l. l. relegare.

admodum sibi arrisisse praeceptum illud Epicteti, Ἀνέχου καὶ ἀπέχου: nec minus ejusdem hoc dictum, plerosque qui philosophari videantur philosophos esse ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν [1]). Quodsi tamen quis vel ex hoc Epicteti studio vel ex admiratione, qua prosecutus esse fertur patientiam et fortitudinem Socratis [2]), propensiorem eum fuisse colligat ad rigidam Stoicorum ethicam, hic lectis aliis Gellii locis agnoscet, illa non nimis urgenda nec ad amussim exigenda esse. Ita refert Gellius, Favorinum de quaestione, Εἰ δεῖ βοηθεῖν τῷ φίλῳ παρὰ τὸ δίκαιον, καὶ μέχρι πόσου, καὶ ποῖα, idem sensisse quod Theophrastum in libro *de amicitia* [3]). Ut enim hic parvam et tenuem turpitudinem vel infamiam subeundam esse dicebat, si ea re amico magna utilitas quaeri posset; ita quoque Favorinus tempestive laxato remissoque subtili justitiae examine indulgentiam adhibendam putabat. Cum his quodammodo cohaeret, quod tradit Gellius [4]), Favorinum inter fratres aut amicos dissidentes idem fieri oportere censuisse, quod praecipit Solon in lege de dissensione in civitate facta, „ut qui in medio sunt utriusque partis benevoli, si in concordia annitenda parum auctoritatis quasi ambigui amici habuerint, tum alteri in alteram partem discedant, ac per id meritum viam sibi ad utriusque concordiam muniant. Nunc autem plerique, inquit, partis utriusque amici, quasi probe faciant, duo litigantes destituunt et relinquunt, deduntque eos advocatis malevolis aut avaris, qui lites animasque eorum inflamment aut odii studio

1) XVII. 19. 2) II. 1. 1. sq. 3) I. 3. 9, 21 sqq.
4) II. 12, ubi lex ipsa laudatur ex Aristotele.

aut lucri." Alio loco [1]) Gellius Favorini laudat sententiam, turpius esse dicentis exigue atque frigide laudari quam insectanter et graviter vituperari: „quoniam, inquit, qui maledicit et vituperat, quanto id acerbius facit, tam maximo ille pro iniquo et inimico ducitur, et plerumque propterea fidem non capit; sed qui infoecunde atque jejune laudat, destitui a causa videtur, et amicus quidem creditur ejus quem laudare vult, sed nihil posse reperire quod jure laudet."

Eandem quam e Gellii locis effeci ethicae indolem referunt Favorini fragmenta, quae imprimis servavit Stobaeus [2]). Neque alienum ab his est, quod tradit Suidas, eum Γνωμολογικὰ scripsisse.

Cum ethica Favorini, quem supra monui rerum Romanarum et jurisprudentiae fuisse peritissimum, cohaeret ejus philosophia de jure et de judicis officio.

Jam initium disputationis cum Sexto Caecilio Jurisconsulto [3]) de legibus XII Tabularum habitae ostendit, quam rationem hac in parte secutus sit. Has enim leges cum Caecilius, *inquisitis exploratisque multarum urbium legibus*, eleganti atque absoluta brevitate verborum scriptas diceret: „Sit, inquit, hoc, Favorinus, in pleraque earum legum parte, ita uti dicis: *non enim minus cupide tabulas istas duodecim legi quam illos decem libros Platonis de legibus*. Sed quaedam istic esse animadvertuntur aut obscurissima, aut lenia contra nimis et remissa, aut nequaquam ita ut scriptum est consistentia [4])."

---

1) XIX. 3. 2) Fragm. CIII-CXIV.

3) Idem Africanus cognominatur. Cf. Puchta Curs. d. Instit. (ed. 2.) I. p. 450. 4) Gell. XX. 1.

Tum Caecilius: „Obscuritates, inquit, non assignemus culpae scribentium, sed inscientiae non assequentium. Quamquam ii quoque ipsi, qui quae scripta sunt minus percipiunt, culpa vacant. Nam longa aetas verba atque mores veteres obliteravit, quibus verbis moribusque sententia legum comprehensa est. Trecentesimo quoque anno post Romam conditam Tabulae compositae scriptaeque sunt; a quo tempore ad hunc diem anni esse non longe minus septingenti videntur. Dure autem scriptum esse in istis legibus quid existimari potest? Nisi duram esse legem putas, quae judicem arbitrumve jure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepisse convictus est, capite punitur: aut quae furem manifestum ei, cui furtum factum est, in servitutem tradit, nocturnum autem furem jure (*al.* jus) occidendi tribuit. Dic enim, quaeso, dic vir sapientiae studiosissime, an tu aut judicis illius perfidiam contra omnia [jura] divina atque humana jusjurandum suum pecunia vendentis, aut furis manifesti intolerandam audaciam, aut nocturni grassatoris insidiosam violentiam, non dignam esse capitis poena existimas?" Ad quae: „Noli, inquit Favorinus, ex me quaerere, quid ego existimem. Scis enim, solitum esse me pro disciplina sectae, quam colo, inquirere potius quam decernere. Sed non levis existimator neque aspernabilis est populus Romanus, cui delicta quidem isthaec vindicanda, poenae tamen hujuscemodi nimis durae esse visae sunt; passus est enim leges istas de tam immodico supplicio, situ atque senio emori."

Sed omnia describere longum est; de reliquis paucis absolvam. Exemplis igitur dicta illustraturus Favorinus ut inhumanum reprehendit, quod secundum XII Tabb.

leges qui morbo aut aetate aeger sit, in jus vocari possit; porro impendio mollius ipsi videtur, quod injuria viginti quinque assibus puniatur, quum acerba ulciscendi lex talionis, cujus justa exsecutio procedere nequeat, ita ne consistere quidem visa sit; tandem immanitatem illam secandi partiendique humani corporis, si unus ob pecuniam debitam judicatus addictusque sit pluribus.

Hinc apparet, Favorinum eadem prorsus ratione leges XII Tabularum legisse atque examinasse, qua Platonis vel Aristotelis legum libros [1]). Ejusmodi *κρίσις*, quae tota in contemplatione legum philosopha versaretur, et, omisso examine ut ita dicam historico, originem et opportunitatem parum attenderet, quomodo placere Romanis potuisset, quorum jurisprudentia cum historia arctissime erat conjuncta, quique in jurisprudentia per analogiam et interpretationem omnia XII Tabularum legibus accommodabant? Neque adeo mirum est, quod Favorino respondens Sex. Caecilius: „Tu es, inquit, unus profecto in nostra memoria non Grajae modo, sed Romanae quoque rei peritissimus. Quis enim philosophorum disciplinae suae leges tam scite atque docte callet, quam leges tu nostras decemviralis percalluisti? Sed, quaeso, tecum tamen degrediare paulisper e curriculis istis disputationum vestrarum Academicis, omissoque studio, *quidquid libitum est arguendi tuendique*, consideres gravius, cuimodi sint ea quae reprehendisti. Nec ideo contemnas legum istarum antiquitates, quod plerisque ipsis jam populus Romanus uti desiverit. Non enim profecto ignoras legum opportunitates et medelas, pro temporum

1) l. l. § 4; II. 12. 1 sqq; cl. I. 3. 1 sq, 27.

moribus et pro rerum publicarum generibus, ac pro utilitatum praesentium rationibus, proque vitiorum quibus medendum est fervoribus mutari atque flecti, neque uno statu consistere, quin, ut facies coeli et maris, ita rerum atque fortunae tempestatibus varientur."

Quae plura apud Gellium leguntur, sunt Caecilii disputatio de legum vel praestantissimarum apud Romanos obliteratione, et docta explicatio eorum quae in XII Tabulis Favorinus vituperaverat. Quae quidem omnia, Favorino approbante atque laudante, disputata hoc loco repetere nec juvat nec pro re nostra opus esse videtur.

Haud ita dissimilis disserendi ratio, quam potius in philosophantem de moribus quam in juris interpretem convenire dixeris, cernitur in disputatione cum ipso Gellio habita de judicis officio [1]). Huic enim, quo primum tempore a Praetoribus in judices lectus est, qui judicia privata susciperet, *inexplicabilis* accidit *sententiae reperiendae ambiguitas.*

„Petebatur apud me pecunia, ait Gellius, quae dicebatur *data numerataque;* sed qui petebat, neque tabulis neque testibus id factum dicebat, et argumentis admodum exilibus nitebatur. Sed eum constabat virum esse ferme bonum notaeque et expertae fidei et vitae inculpatissimae, multaque et illustria exempla probitatis sinceritatisque ejus expromebantur. Illum autem, unde petebatur, hominem esse non bonae rei vitaque turpi et sordida convictumque vulgo in mendaciis plenumque esse perfidiarum et fraudum ostendebatur. Tunc ibi amici mei, quos rogaveram in consilium, viri exercitati

1) XIV. 2.

atque in patrociniis et in operis fori celebres, semperque se circum undique distrahentibus causis festinantes, non sedendum diutius ac nihil esse dubium dicebant, quin absolvendus foret, quem accepisse pecuniam nulla probatione sollemni docebatur. Sed enim ego homines cum considerabam, alterum fidei, alterum probri plenum, spurcissimaeque vitae ac defamatissimae, nequaquam adduci potui ad absolvendum. Jussi igitur diem diffindi; atque inde a subselliis pergo ire ad Favorinum philosophum, quem in eo tempore Romae plurimum sectabar, atque ei de causa atque de omnibus, quae apud me dicta fuerant, uti res erat, narro omnia; ac peto, uti et ipsum illud, in quo haerebam, et cetera etiam, quae observanda mihi forent in officio judicis, faceret me ut earum rerum essem prudentior. Tum Favorinus, religione illa contationis et sollicitudinis nostrae comprobata: Id quidem, inquit, super quo nunc deliberas, videri potest specie tenui parvaque esse; sed si de omni quoque officio judicis praeire tibi me vis, nequaquam est vel loci hujus vel temporis; est enim disceptatio ista multijugae et sinuosae quaestionis multaque et anxia cura et circumspicientia indigens." His dictis, Favorinus priusquam ad ipsam rem venit, pauca quaestionum capita attingit, in quibus quaeri potest, num stricte debeat judex se judicis officio alligare et secundum illa tantum dijudicare, quae publice coram ipso aguntur. Deinde sic dicere pergit: „Sed de his et ceteris hujuscemodi judicialis officii tractatibus et nos posthac, cum erit otium, dicere quid sentiamus conabimur, et praecepta Aelii Tuberonis super officio judicis, quae nuperrime legi, recensebimus. Quod autem ad pecuniam pertinet, quam apud judicem peti dixisti,

suadeo hercle tibi, utare M. Catonis, prudentissimi viri, consilio, qui in oratione, quam pro L. Turio [1]) contra Cn. Gellium dixit, ita esse a majoribus [memoriae] traditum observatumque ait, ut si, quod inter duos actum est, neque tabulis neque testibus planum fieri possit, tum apud judicem, qui de ea re cognosceret, uter ex iis vir melior esset, quaereretur: et, si pares essent, seu boni pariter seu mali, tum illi unde petitur crederetur, ac secundum eum judicaretur. In hac autem causa, de qua tu ambigis, optimus est qui petit, unde petitur deterrimus: et res est inter duos acta sine testibus. Eas igitur, et credas ei qui petit; condemnesque eum de quo petitur: quoniam, sicuti dicis, duo pares non sunt, et qui petit melior est."

Prudenter suasit Cato, et prorsus quidem secundum praeceptum, quod valet in jure Romano, *Actori incumbit onus probandi;* quae vero philosophus Favorinus ex Catonis verbis colligere voluit, huic praecepto repugnant [2]). Hinc quoque Gellius: "Hoc quidem, inquit, mihi tum Favorinus, *ut virum philosophum decuit*, suasit. Sed majus ego altiusque id esse existimavi, quam quod meae aetati et mediocritati conveniret, *ut cognovisse et condemnasse de moribus*, *non de probationibus rei gestae viderer:* ut absolverem tamen, inducere in animum non quivi; et propterea juravi mihi non liquere, atque ita judicatu illo solutus sum."

Haec de Favorini studiis philosophis dicenda habui, quem haud scio an recte dicam cum veteris Academiae

1) Cf. Van Bolhuis Diatr. in M. Porcii Catonis scripta et fragm. p. 107.
2) Puchta l. l. vol. II. p. 200 sq.

placitis aliquatenus recentioris Academiae scepsin conjunxisse. Quod ita intelligatur velim, ut recentioris Academiae decreta de cognitionis imbecillitate ipsi inservirent ad philosophiae placita inquirenda et explicanda; ut in iis acquiesceret, quae inquirenti ipsi probata fuissent; non ut, recentiores Academicos secutus, ceteros tantum impugnaret et omnem rerum scientiam tolleret. Omnino in Favorini philosophandi morem, atque in sophistica ejus studia ratio ista optime quadrabat, quippe quae tum subtili et captiosae dialecticae, tum speciosae orationis flumini et doctrinae ostentationi latum aperiret campum. Utrumque studium quum in unum coaluisset et alterum alteri responderet, intelligimus, quam merito ille, ut πολ μαθὴς κατὰ πᾶσαν παιδείαν, de omni re bene atque subito dixisse, idemque φιλοσοφίας μεστὸς, ῥητορικῇ δὲ μᾶλλον ἐπιθέμενος existimatus sit.

CAPUT III.

DE FAVORINI SCRIPTIS.

Favorini ut studia, ita scripta πολυμαθείαν arguunt κατὰ πᾶσαν παιδείαν. Praeter orationes, quas subito haud paucas dixit, permultos scripsit varii generis libros, quorum quidem scriptorum quum nullum integrum ad nos pervenerit, notitia fere omnis e paucis fragmentis, interdum etiam e librorum titulis petenda est. Ex his igitur indiciis, habita ratione cum Favorini studiorum tum ingenii aetatis qua vixit, quoad ejus fieri poterit, colligere conabimur, qualia scripta illa fuisse videantur.

Primum igitur hoc moneam universe, Favorini scriptoris famam apud antiquos satis celebrem fuisse. Quae res jam e ratione efficitur, qua scripta ejus a Philostrato laudantur[1]), atque magis etiam ex eo quod tradit idem, librum quendam nomine Favorini circumlatum esse, procul dubio ut hoc nomine lectio ei pararetur. Quod autem ex Favorini libris sua saepissime deprompsit Diogenes Laertius, id quidem in hoc scriptore, alia

1) l. l. p. 491 (13, 3), cl. vit. App. Tyan. p. 165.

aliunde promiscue compilante, urgere nolim; sed quanti olim fecerint Favorini cum libros tum scribendi genus, egregie arguunt praecepta et monita Phrynichi, caventis ne quis inductus auctoritate viri, qui omnium maxime *λόγου ἄξιος* inter Graecos videretur, in eadem vitia incideret, quae ille commisisset. Nec IVto p. Ch. saeculo Favorini libros lectitare desierunt artis sophisticae studiosi. Libanius certe sophistarum, qui aetate illa floruerunt, procul dubio longe princeps, ita scribit ad Castricium suum [1]: *Οὐκ ἄρα ὁ Χάρης μόνον ὑπισχνεῖτο μείζονα ὧν πράξειν ἔμελλεν, ἀλλὰ καὶ ὁ γενναῖος Καστρίκιος ἐν τῷ φῆσαι μὲν ποιήσειν λαμπρὸν ἔργον, ποιῆσαι δὲ οὐδαμῶς· καίτοι εἰ μὲν οὐκ ἦν σοι Φαβωρίνου βιβλία, τί χρῆν ἀπαγγέλλεσθαι; ὄντων δὲ, τί ψεύδεσθαι ἔδει καὶ φίλον ἐξαπατᾶν, καὶ μὴν καὶ ἕτερον ἀδίκημα οὐ μικρὸν, τῷ μὴ πέμψαι βιβλία προθεῖναι τὸ μὴ ἐπιστεῖλαι. Τουτὶ γὰρ ἦν οὐδὲ ἀπολογεῖσθαι ἀνεχομένου τῷ τὰ δεινότατα πεπονθότι. Νῦν οὖν μοι δοκεῖς τρίων ἕν γέ τι ποιήσειν, ἢ ἔργῳ τὰ ἐγκλήματα λύσειν, ἢ λόγῳ πείσειν, ὡς οὐκ ἀδικεῖς, ἢ τῇ σιγῇ μείζοσιν αἰτίαις ἐνέξεσθαι* [2].

Sexto saeculo, ut infra videbimus, pars saltem superfuit commentariorum, qui Favorini nomine laudantur, quippe a Sopatro sophista excerpta [3]; quod ipsum fortasse illorum interitum maturaverit. Quare non temere statuere mihi videor, quum Stephanum Byzantium, tum Joannem Stobaeum, quae e Favorini scriptis afferunt, ex ipso fonte hausisse, non adiisse rivulos. Idem in S. Maximum atque recentiores valere negaverim. De scriptore Etymologici M. et Suida, quos, quae habent prae-

---

1) De quo cf. Epist. 1091 p. 520 ed. Wolf.

2) Epist. 1313. p. 612. 3) Phot. Bibl. ed. Bekk. p. 103b 1.

clara, ex aliorum grammaticorum scriptis compilasse omnes norunt, non est quod dicam.

Sed videamus jam de singulis Favorini libris, qui quot fuerint numero quum ne divinare quidem probabiliter liceat, tamen non ignoramus, eum Plutarchi, cujus amplius CXXV libri enumerantur [1]), hoc nomine aemulum se praestitisse. Suidas enim: Ἀντεφιλοτιμεῖτο, inquit, *καὶ ζῆλον εἶχε πρὸς τὸν Πλούταρχον τὸν Χαιρωνέα ἐς τὸ τῶν συνταττομένων βιβλίων ἄπειρον· γέγραπται γοῦν αὐτῷ φιλόσοφά τε καὶ ἱστορικά, ὧν πολὺς ἀριθμός.* Quod testimonium vel titulorum similitudine, quibus uterque eorum suos commentarios inscripsit, confirmari videtur [2]). Nobis de libris Favorini vix XXVII nomine sunt cogniti, de quibus jam deinceps agamus.

I.

COMMENTARII GRAMMATICI (?).

Agens de nucum generibus, atque in his de nuce terentina, Macrobius (Fragm. I), in *libro* Favorini *terentinum* duci ait a *tereno*, teste citato Varrone ad Libonem I. Qui reputaverit, quanto studio incubuerit Favorinus in literas Latinas (cf. supra p. 24 sqq.), is lecto ejus libri fragmento facile in sententiam meam abeat, depromptum esse locum ex opere quodam ad Latinas literas pertinente et Latine scripto. Hoc enim ut credamus res ipsa

1) Vide Indicem a Lampria confectum, qui exstat apud Fabricium Bibl. Gr. vol. V p. 159 sqq. et p. 167 sqq.

2) l. l. p. 165, p. 169 sq.

suadet, quamvis id nec dicatur diserte, neque ullus alius Favorini liber commemoretur, eo sermone conscriptus [1]).

II.

SCRIPTA HISTORICA.

Certiora supersunt et locupletiora testimonia, e quibus efficiatur, quid in historia Favorinus praestiterit. Qua tamen de re universe monendum, Favorinum non scripsisse historias proprie sic dictas, h. e. tales in quibus perpetua narratione gentis alicujus vel civitatis acta et fata exponantur, sed selectas atque adeo varii argumenti fuisse ejus historias, quales id temporis conscribi a sophistis solerent, ποικίλαις ἱστορίαις Aeliani simillimas. Duo hujus generis scripta Favorino auctori tribuuntur, Ἀπομνημονεύματα et Παντοδαπὴ ἱστορία, quibus tertium etiam additur. De singulis videamus.

1. Ἀπομνημονεύματα.

Horum minimum V fuisse libros constat e Diogene Laertio (Fragm. XIV, XV), qui alibi (Fragm. XVII) eosdem commentarios Ὑπομνημάτων nomine insignivit; minus recte, nisi sit error e scripturae compendio natus [2]).

1) Qui enim Favorinus *vetus orator*, suasor Liciniae legis de sumtu minuendo, a Gellio XV. 8 laudari videtur, eum esse Arelatensem quis credat? Sed ne nomen quidem apud Gellium recte scribi putant, pro quo acutius quam probabilius Favonii nomen restituerunt, vel Fannii, vel etiam P. Augurini. Qua de re vid. Meyerus Oratt. Rom. fragm. ed. alt. p. 208.

2) Eodem modo Ἀπομνημονεύματα Xenophontea Ὑπομνήματα vocantur

Quum vero praeterea a nullo veterum commemorentur, vix quidquam statui de eorum argumento queat: nam Diogenes, ut collegit undecunque quae facerent ad vitas et placita philosophorum illustranda, ita ex *Ἀπομνημονεύμασι* Favorini nihil attulit, nisi ubi sermo sit de alicujus philosophi vita, dictis scriptisve. Tamen si quid ex titulo colligendum, qui Xenophonteum exemplum refert, haud multum a vero aberraverimus, si conjiciamus Favorinum his libris id egisse, ut principum antiquitatis doctorum virorum dicta et facta et fata memorabilia consignaret. Hoc certum est, aliud opus fuisse *Ἀπομνημονεύματα*, aliud *Παντοδαπὴν ἱστορίαν*, de qua statim absolvam; id quod facile sibi persuadebit, qui comparaverit Diogenis Laertii locos II. 5. 38, et II. 5. 39, quorum priore illud, altero hoc opus laudatur. Quid, quod VIII. 1. 12 (Fragm. XXIII) utrique commentarii simul afferuntur? Tamen utriusque operis fragmenta inter se conferenti apparebit, tantam esse amborum similitudinem, ut nisi adderetur titulus ad utrum referres nescires. Quae igitur sine libri titulo citantur tanquam Favorini, iis omnibus locum assignavi fragmentis *Παντοδαπῆς ἱστορίας* posteriorem.

---

a Moeride v. *Ἐπιτηδείους*, ubi videatur Piersonus. Proprie autcm *ὑπομνήματα* dicuntur commentarii proprios in usus conscripti, *συγγράμματα*, *ὅσα πρὸς οἰκεῖαν ὑπεσημειοῦντο ὑπόμνησιν*, — *ὡς ὕλην τῶν οἰκείων συγγραμμάτων*, ut verbis utar Ammonii Hermiae *Περὶ ἑρμην.* lit. AA. fol. 2. ed. Ald. *Ἀπομνημονεύματα* vero sunt commentarii memoriae rerum hominumve servandae gratia editi. — Illuc ut redeam, docet Bastius Comment. palaeogr. p. 823, nomen *ἀπομνημονεύματα* scribi potuisse tali compendio, ut omnis discrepantia redeat ad praepositiones facillime commutabiles *ἀπὸ* et *ὑπό*.

2. Παντοδαπὴ ἱστορία.

In titulo hujus operis scribendo neque inter se consentiunt nec sibimet ipsi constant veteres. Diogenes Laertius quum librum *alterum* (Fragm. XXI) et *octavum* (Fragm. XXII-XXIV.) laudet Παντοδαπῆς ἱστορίας, et passim hoc nomine utatur, semel Favorinum ἐν Παντοδαπαῖς ἱστορίαις testem citat (Fragm. XXXVIII). Sed multo minus sibi constat qui Stephani Byzantii Ἐθνικὰ in epitomen redegit, quippe qui promiscue laudet Παντοδαπὰς (Fragm. XLVI, XLVII), Παντοδαπὰς ἱστορίας (Fragm. XLIX), Παντοδαπὰ (Fragm. XLVIII), librum *primum* Παντοδαπῆς ὕλης ἱστορικῆς (Fragm. XX), cui titulo proxime accedit, qui est apud Photium, loco mox laudando, et in Etym. M. (Fragm. XLIV), ubi scribitur Περὶ παντοδαπῆς ὕλης. In tanta discrepantia titulum sequor usitatissimum. Accedit Gellius, qui Favorini familiaris varias librorum inscriptiones enumerans Παντοδαπὴν ἱστορίαν, non ὕλην commemorat. Denique plurali numero legit Jul. Valerius, cujus haec sunt verba: „Sat tibi habeto Graecum Favorini librum, qui *omni gen*ERE *historiae* superscribitur" (Fragm. XLIII). Qua inscriptione quum nihil sit absurdius, restituo *Omnigen*AE *historiae*.

De hoc igitur opere, quo Favorinus collegisse videtur quae memorabilia et minus vulgo nota essent, partim ad grammaticam artem, ad historiam literariam, partim ad res gentium, ad geographiam, ad philosophiam denique spectantia, classicus est Photii locus [1]), quem integrum adscribam. Agens enim de Ἐκλογαῖς Sopatri so-

1) Bibl. p. 103 b 1.

phistae: Ὁ δὲ τρίτος λόγος, inquit, συλλέγεται αὐτῷ ἐκ τῆς Φαβωρίνου Παντοδαπῆς ὕλης, ἔκ τε τοῦ ν καὶ τοῦ ξ καὶ καθεξῆς, πλὴν τοῦ τ μέχρι τοῦ ω· ἐν οἷς διάφοροι ἱστορίαι καὶ τῶν κατὰ τὰ ὀνόματα θέσεων αἰτιολογίαι καὶ τοιαῦτα ἕτερα. Ex quo quidem Photii testimonio effecerunt, praeter Kayserum [1]) quoad sciam omnes, Παντοδαπὴν ἱστορίαν digestam fuisse κατὰ στοιχεῖον. Quam sententiam amplexus Car. Muellerus [2]): „Quae e libro octavo afferuntur, inquit, de Platone et Pythagora sunt; adeo ut in hoc libro ad literam π devenisse auctor videatur. Quodsi de eodem Platone etiam secundus liber citatur [3]), probabiliter pro ἐν β' scribendum ἐν η'." At scire equidem velim, unde colligi possit, litera π Favorinum enarrasse quae ad Platonem et Pythagoram pertinerent; quomodo non aliena sit ista ratio a Παντοδαπῆς ἱστορίας argumento? Equidem arbitror, literas istas ν, ξ, τ, ω non esse initiales nominum, quae his libris tractantur, sed ordinem indicare librorum, eodem modo quo Iliadis et Odysseae libros numerare veterum exemplo solemus. Quae si vere disputavi, sequitur, Παντοδαπὴν ἱστορίαν in XXIV libros fuisse dispertitam, quorum sex postremi, varias historias et disputationes de propositis rerum capitibus explanaverint [4]). Totidem libros Περὶ παντοδαπῆς ὕλης scripsisse dicitur Cotiaënsis Alexander [5]), qui quamvis junior sub idem tempus vixit, siquidem eo praecep-

1) l. l. p. 182. 2) Fragm. hist. III. p. 577. 3) III. 1. 57.

4) Θέσεις κατὰ τὰ ὀνόματα sunt *quaestiones finitae* quae dicuntur, ad certas res et personas (ὀνόματα) pertinentes. Cf. Ernesti Lex. Technol. v. θέσις.

5) Steph. Byz. v. Κοτιάειον, ubi ex duobus praestantissimis codicibus Meinekius reddidit κδ' pro τεσσαράκοντα δύο.

2. Παντοδαπὴ ἱστορία.

In titulo hujus operis scribendo neque inter se consentiunt nec sibimet ipsi constant veteres. Diogenes Laertius quum librum *alterum* (Fragm. XXI) et *octavum* (Fragm. XXII-XXIV.) laudet Παντοδαπῆς ἱστορίας, et passim hoc nomine utatur, semel Favorinum ἐν Παντοδαπαῖς ἱστορίαις testem citat (Fragm. XXXVIII). Sed multo minus sibi constat qui Stephani Byzantii Ἐθνικὰ in epitomen redegit, quippe qui promiscue laudet Παντοδαπὰς (Fragm. XLVI, XLVII), Παντοδαπὰς ἱστορίας (Fragm. XLIX), Παντοδαπὰ (Fragm. XLVIII), librum *primum* Παντοδαπῆς ὕλης ἱστορικῆς (Fragm. XX), cui titulo proxime accedit, qui est apud Photium, loco mox laudando, et in Etym. M. (Fragm. XLIV), ubi scribitur Περὶ παντοδαπῆς ὕλης. In tanta discrepantia titulum sequor usitatissimum. Accedit Gellius, qui Favorini familiaris varias librorum inscriptiones enumerans Παντοδαπὴν ἱστορίαν, non ὕλην commemorat. Denique plurali numero legit Jul. Valerius, cujus haec sunt verba: „Sat tibi habeto Graecum Favorini librum, qui *omni gen*ERE *historiae* superscribitur" (Fragm. XLIII). Qua inscriptione quum nihil sit absurdius, restituo *Omnigen*AE *historiae*.

De hoc igitur opere, quo Favorinus collegisse videtur quae memorabilia et minus vulgo nota essent, partim ad grammaticam artem, ad historiam literariam, partim ad res gentium, ad geographiam, ad philosophiam denique spectantia, classicus est Photii locus [1]), quem integrum adscribam. Agens enim de Ἐκλογαῖς Sopatri so-

1) Bibl. p. 103 b 1.

phistae: Ὁ δὲ τρίτος λόγος, inquit, συλλέγεται αὐτῷ ἐκ τῆς Φαβωρίνου Παντοδαπῆς ὕλης, ἔκ τε τοῦ ν καὶ τοῦ ξ καὶ καθεξῆς, πλὴν τοῦ τ μέχρι τοῦ ω· ἐν οἷς διάφοροι ἱστορίαι καὶ τῶν κατὰ τὰ ὀνόματα θέσεων αἰτιολογίαι καὶ τοιαῦτα ἕτερα. Ex quo quidem Photii testimonio effecerunt, praeter Kayserum [1]) quoad sciam omnes, Παντοδαπὴν ἱστορίαν digestam fuisse κατὰ στοιχεῖον. Quam sententiam amplexus Car. Muellerus [2]): „Quae e libro octavo afferuntur, inquit, de Platone et Pythagora sunt; adeo ut in hoc libro ad literam π devenisse auctor videatur. Quodsi de eodem Platone etiam secundus liber citatur [3]), probabiliter pro ἐν β′ scribendum ἐν η′." At scire equidem velim, unde colligi possit, litera π Favorinum enarrasse quae ad Platonem et Pythagoram pertinerent; quomodo non aliena sit ista ratio a Παντοδαπῆς ἱστορίας argumento? Equidem arbitror, literas istas ν, ξ, τ, ω non esse initiales nominum, quae his libris tractantur, sed ordinem indicare librorum, eodem modo quo Iliadis et Odysseae libros numerare veterum exemplo solemus. Quae si vere disputavi, sequitur, Παντοδαπὴν ἱστορίαν in XXIV libros fuisse dispertitam, quorum sex postremi, varias historias et disputationes de propositis rerum capitibus explanaverint [4]). Totidem libros Περὶ παντοδαπῆς ὕλης scripsisse dicitur Cotiaënsis Alexander [5]), qui quamvis junior sub idem tempus vixit, siquidem eo praecep-

1) l. l. p. 182. 2) Fragm. hist. III. p. 577. 3) III. 1. 57.

4) Θέσεις κατὰ τὰ ὀνόματα sunt *quaestiones finitae* quae dicuntur, ad certas res et personas (ὀνόματα) pertinentes. Cf. Ernesti Lex. Technol. v. θέσις.

5) Steph. Byz. v. Κοτιάειον, ubi ex duobus praestantissimis codicibus Meinekius reddidit κδ′ pro τεσσαράκοντα δύο.

tore usus est M. Antoninus [1]. Ceterum de argumento et ratione horum voluminum satius est lectores ad fragmenta relegare.

Favorini autem aequales, quique aliquanto post vixerunt, Παντοδαπὴν ἱστορίαν permagni fecisse, vel Sopatri exemplum probet, quem magnam ejus partem in epitomen redegisse ex Photio novimus. Neque alium librum, nisi forte Ἀπομνημονεύματα cogitanda sint, a Gellio (Fragm. LXII) indicari crediderim, ubi, Plinio Secundo vituperato, quod multa commenta in Democriti nomen dederit: „Sed id, inquit, quod Archytam Pythagoricum commentum esse atque fecisse traditur, neque minus admirabile neque tamen vanum aeque videri debet. Nam et plerique nobilium Graecorum et Favorinus philosophus, *memoriarum veterum exsequentissimus*, affirmatissime scripserunt, simulacrum columbae e ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaque mechanica factum volasse." Denique si tum operis fragmenta, tum Favorini studia attendamus, haud scio an, quod de Ἐκλογαῖς Sopatri judicium Photius tulit [2], id jure ego de Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ feram, quatenus saltem ex umbra corporis judicare de corpore ipso licet. Πολλὴν δὲ τὴν χρείαν τοῦτο δὴ τὸ φιλοπόνημα τοῖς ἀναγινώσκουσι παρέχεται· εἰ γὰρ καὶ μύθων καὶ τεράτων ψευδῶν τε καὶ ἀπιθάνων, ὥς μοι καὶ πολλάκις εἴρηται, οὐ καθαρεύει, ἀλλ' οὖν ἐν οἷς τε εἰς πολυμάθειαν ἐκ τοῦ ἑτοίμου συντελεῖ, καὶ πρὸς ἀρετὴν καὶ καλοκἀγαθίαν πλεῖστα ἔστιν αὐτῶν ἀπανθίσασθαι, πρός τε τὸ ῥητορεύειν καὶ σοφιστεύειν — οὐκ ἐλαχίστην φέρει ῥοπήν, ἱκανὸν εἰς χρείαν καθέστηκεν.

1) Vid. Lehrs Quaestt. epp. p. 8. 2) l. l. p. 105 a 5.

Sed ut per se quisque intelligit, quum in Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ omnia undecunque excerpta promiscue essent collocata, non posse fragmenta, quando non addatur libri numerus, in probabilem ordinem restitui; ita rationes reddam necesse est, cur Stephani locum, qui est v. Ἀλεξάνδρειαι, ad hoc opus referendum putaverim. Illic enim de ἐθνικῷ nomine vulgo haec leguntur: Δίδυμος παρατίθεται χρῆσιν ἐξ Ἐρατοσθένους τοῦ (Mein., τὸ West.) Ἀλεξανδρίτης. Φαβωρῖνος δὲ ἐν τῷ Περὶ Κυρηναϊκῆς πόλεως Ἀλεξανδρειώτην φησί. Unde Favorinum scripsisse Κυρηναϊκὰ complures cum Vossio opinati sunt [1]), quae tamen opinio nulla re commendatur. Contra alii verba corrupta esse judicarunt, alii etiam emendare studuerunt.

Quodsi Favorini scriptum Κυρηναϊκὰ a Stephano indicaretur, legi deberet vel ἐν τῷ Περὶ Κυρήνης, quo titulo Acesander et Theotimus usi sunt, vel ἐν τοῖς Κυρηναϊκοῖς; si Aristotelis exemplo Favorinus praeter historiam Cyrenensium totam rem publicam illustrasset, commentarium inscripsisset Περὶ Κυρηναίων πολιτείας Neutra sententia recte dicitur Περὶ Κυρηναϊκῆς πόλεως. Sic quocunque te vertas, medela opus est. Hanc sibi invenisse Bernhardy visus est corrigendo Περὶ Κυρηναϊκῆς πολιτείας [2]), idque interpretatur *de Cyrenaica secta*, partem fuisse ratus vel appendicem τοῦ Περὶ Σωκρατικῶν. Sed neque hunc vocabuli πολιτεία usum vir clar. probavit, nec Περὶ Σωκρατικῶν Favorinus scripsisse traditur; qua de re sub finem hujus disputationis dicetur. Multo

---

1) In vulgari titulo acquiescens Thrigius quoque: »Non partem, inquit, παντοδαπῆς ἱστορίας, verum si argumentum historiae hujus spectamus, peculiare potius quoddam opus constituisse puto," Res Cyrenens. p. 5.

2) In annot. ad Suid. v. Φαβωρῖνος.

speciosior est Heckeri conjectura[1]), qui suspicatus, ut videtur, excidisse notam ε', corrigit Περὶ Κυρηναϊκῆς Πενταπόλεως. Mihi quum nescio quomodo ejusmodi opus a Favorino videatur alienius, aliud in mentem venit. Credo Κυρηναϊκῆς et depravatum esse et loco positum non suo. Scriptum olim in margine fuit Κυρηναίου, quod postea librarius in textum recepturus accommodavit ad vocabulum πόλεως vel πάλης; hoc enim in tribus codicibus, quorum Rhedigeranus et Vossianus optimae sunt notae, Meinekius invenit, addens: „nec πόλεως nec πάλης expedio." Recte; nam quid sibi velit *Cyrenaica lucta?* Pertinebat autem Κυρηναίου ad versum priorem, ad nomen Ἐρατοσθένους, quem *Cyrenensem* fuisse nemo non novit, idque in hac ipsa epitome legitur v. Κυρήνη. Sic simul expedio quod et τοῦ Ἀλεξανδρίτης codices praebent et τὸ Ἀλεξανδρίτης. Verbo, debebat esse Ἐρατοσθένους τοῦ Κυρηναίου τὸ Ἀλεξανδρίτης. Adde quod duobus praeterea locis una cum hoc Eratosthene Favorinus in Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ laudatur, quorum alter est Stephani v. Αὐταριᾶται (Fragm. XLVII), alter Diogenis VIII. 1. 47. (Fragm. XXIV)[2]). Jam vix opus est ut, quod restat, Περὶ πόλεως aut Περὶ πάλης, veram esse lectionem negem, quamquam in posteriore manifestum inest veteris ac genuinae scripturae indicium, quae fuit Περὶ π. ὕλης i. e. Περὶ παντοδαπῆς ὕλης (cf. Fragm. XLIV). Si cui mirum hoc compendium videatur, mirari fortasse desinet, ubi viderit infra, quo angulo latuerit adhuc titulus Κατὰ γήρως, quem ex Stobaeo protraxi. Denique, ne

1) In Schneidew. *Philol.* a. 1850. p. 420.

2) Cf. etiam Fragm. CXI.

quid dubitationis argumentum loci attendenti relinquatur, ipse Stephanus (Fragm. XX) curavit, quum de Attica Τετράπολι scribens dicat: Οἱ οἰκήτορες Τετραπολεῖς καὶ Τετραπολῖται, ὡς Φαβωρῖνος ἐν πρώτῳ Παντοδαπῆς ὕλης ἱστορικῆς.

Vellem simili modo expedire potuisse aliud fragmentum, in eadem epitome Stephani servatum. Nunc, tanquam pertineat ad opus singulare, seorsum est de illo dicendum.

3.

Ἐπιτομὴ τῆς Παμφίλης (?).

Apud Stephanum Byz. v. Ῥοπεῖς ante Meinekium sic legebatur: ἔθνος, οὗ μέμνηται Φαβωρῖνος ἐν ἐπιτομῇ δ' (τετάρτῃ) τῆς Παμφυλίας, unde scripsisse Favorinus videretur librum, cujus titulus esset περὶ Παμφυλίας, quum alii, ante articulum distinguentes, τῆς Παμφυλίας ad ἔθνος referrent. Neutram harum lectionum veram esse vidit Meinekius, qui codicibus usus Rehdigerano et Vossiano restituit ἐν ἐπιτομῇ δ' τῆς Παμφίλης. "Rhopenses, inquit, Pamphyliae populum fuisse incompertum est; itaque consultius visum est meliorum librorum lectionem repraesentare, ex qua discimus Phavorinum Pamphilae commentarios historicos (Photius Bibl. 175 p. 119. intpp. Suidae v. Παμφίλη) in compendium redegisse, in quo nihil inest, quod a Phavorini studiis alienum sit. idem post Phavorinum a Sopatro factum esse constat e Photii Bibl. 161 p. 103, 36." Sunt sane quae viri clar. sententiae faveant; sed nec desunt, quae eidem adversentur. Utrumque ostendere hujus est loci.

Photio teste, scripsit Pamphila Συμμίκτων ἱστορικῶν ὑπομνημάτων λόγους η'; teste Suida, Ἱστορικὰ ὑπομνήματα ἐν βιβλίοις λγ'. Vix dubium est, quin idem opus utrobique designetur, et verum librorum numerum Suidas tradat, siquidem Diogenes Laertius [1]) Pamphilam laudat ἐν τῷ λβ' τῶν Ὑπομνημάτων. Ne putes autem hos Pamphilae commentarios a Sopatro excerptos, quod indicare Meinekius videtur. Ut enim Pamphilae Suidas tribuit Ἐπιτομὰς ἱστοριῶν τε καὶ ἑτέρων βιβλίων παμπλείστων, ita alterum Sopatri Ἐκλογῶν λόγον conflatum narrat Photius [2]) ex Pamphilae Ἐπιτομῶν πρώτου λόγου καὶ καθεξῆς μέχρι τοῦ δεκάτου, simili modo quo eundem consarcinasse vidimus tertium Ἐκλογῶν λόγον e Favorini Παντοδαπῇ ὕλῃ: Sed illuc revertor. Si igitur Favorinus quoque e scriptis Pamphilae Ἐπιτομὴν confecit, confecisse putandus est ex Ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν. Jam vero Gellium memini, Favorini familiarem, duobus locis [3]) laudare Pamphilae commentarios; fateor istiusmodi compendii argumentum non abhorruisse a studiis Favorini; sed vis horum argumentorum mihi tanta non est, ut in lectionis ambiguitate sive varietate acquiescens credam fuisse libros Favorini, qui Ἐπιτομὴ τῆς Παμφίλης inscriberentur. Fac fuisse, nonne credibile est optima quaeque a Favorino excerpta esse? Atqui quid tum Sopatro excerpendum reliquit, qui pariter non mediocria nec vulgaria ac trita selegisse existimandus est? Denique — nolo enim urgere rem ipsam minus dignam mihi videri ingenio Favorini et eruditione — si Pamphilae commentarios in epitomen

1) V. 2. 36. 2) p. 103. 3) XV. 17. 23.

redegit, haud certe titulo supra scripto Favorinus usus est. Scribere debebat: Ἐπιτομὴ τῶν Παμφίλης ἱστοριῶν vel ὑπομνημάτων, pro quo ferri in grammatico possit, si neglecto nomine scripserit Ἐπιτομὴ τῶν Παμφίλης. Sed ponamus vitium inesse in articulo, ne sic quidem ἐν ἐπιτομῇ δ' τῶν Παμφίλης recte dictum foret. Dicendum erat ἐν ἐπιτομῆς τῶν Παμφίλης (ἱστοριῶν, ὑπομνημάτων) δ', vel simili quodam modo: cujus rei ipse Stephanus in laudanda Lepidi ἐπιτομῇ exempla duo suppeditat, v. Σκοῦποι et v. Τέγεα. Itaque non quod probem Meinekianam lectionem, sed quod de vera lectione dubito, in libri inscriptione nihil mutavi. Nisi ἐπιτομὴ istud obstaret, crederem Παμφυλίας et Παμφίλης errore natum ex παντ. ὕλης. In epitome quidem Stephani hoc vel simili nomine semper fere laudatur Favorini Παντοδαπὴ ἱστορία. Nunc ἐπέχω.

III.

DISSERTATIONES SOPHISTICAE.

Ut seria et philosopha, ita ludicra etiam argumenta et nugatoria in orationibus Favorinus tractabat (cf. supra p. 43, 52). Huc pertinent ἄδοξοι ὑποθέσεις quas vocat Gellius [1]).

1. *Laudes Thersitae.*
2. *Laudes febris quartanae.*

De his libris quae pauca innotuerunt, a Gellio nar-

1) XVII. 12. Cf. p. 52.

rantur, quo teste Favorinus „lepida sane multa et non facilia inventu in utramque causam dixit."

Ad easdem *infames materias* jure suo referenda est a Philostrato commemorata oratio, cujus tamen nullum fragmentum superest,

3. Ἐπὶ τῷ λήρῳ λόγος.

Sic enim pro ἀώρῳ ex codicibus restituit Kayserus, quem vide p. 190.

Dissertationes sophisticas, quarum magis serium argumentum, nec tamen e philosophia petitum erat, duas commemoratas invenio:

4. Ὑπὲρ τῶν μονομάχων.
5. Ὑπὲρ τῶν βαλανείων.

Fuerunt igitur διαλέξεις [1]), in quibus gladiatorum [2]) et balnearum laudes impugnavit vel defendit. Ceterum omnem de his tribus dissertationibus notitiam debemus Philostrato, qui declarat, esse λόγους γνησίους τε καὶ εὖ ξυγκειμένους [3]).

Ad orationes philosophas pertinet primum

6. Κατὰ Χαλδαίων.

Adversus Chaldaeos seu genethliacos Graece Favorinus Romae dixit; rerum capita Latine servavit Gellius qui *egregiam* atque *illustrem* orationem vocat [4]).

---

1) Cf. Prooem. p. 8.

2) Non abs re videtur h. l. commemorare, id temporis gladiatorum ludos in Graecia adamatos fuisse, quod acriter reprehendit Dio Chrysostomus orat. Corinth. p. 347 sq. Mor., p. 401 Emp.

3) p. 491 (13, 6).

4) XIV. 1. 32.

An scripta fuerit vehementer dubito. Gelliana tantum non omnia huic disputationi intexta leguntur supra p. 44 sqq.

7. Περὶ τῆς Σωκράτους ῥώμης (?).

Fueritne haec quoque scripta oratio an subito dicta, non memoratur diserte. Illud inde conjicio, quod ipsa verba Graeca affert Gellius (Fragm. LXVI), ex quo loco etiam titulum orationis effeci.

8. Περὶ γήρως.

Laudes senectutis hac disputatione praedicatae fuisse videntur, ut reliquiae arguunt apud Stobaeum maxime servatae (Fragm. LXVII—LXXI). Ἔπαινος igitur fuit.

Idem Stobaeus (Fragm. LXXII), superscripto lemmate ΨΟΓΟΣ ΓΗΡΩΣ, Φαβωρίνου ἐκ τῶν κγ hunc versiculum profert: Πολύς τοι μόχθος ἐν μακρῷ χρόνῳ. Literis κγ quid faciendum sit, dubito an quisquam dixerit. Ut quod sentio eloquar, literae κγ sunt compendiaria scriptura, quibus ipse ille Ψόγος indicatur sive Favorini dissertatio [1])

9. Κατὰ γήρως.

Quodsi placeat haec explicatio, manifestum nacti sumus testimonium, Favorinum non contempsisse morem sophistarum de eodem argumento in utramque partem disserendi. Quam rem attigimus supra p. 52.

---

1) Plura apud Stobaeum leguntur, ex Favorini scriptis deprompta, quae ex dissertationibus excerpta videntur. Sic Tit. XLIX. 48. eadem verba habes, quae Favorinum inter ingentes omnium clamores dixisse Gellius IX. 8. testatur. Hoc dubium est, iidemne fuerint dissertationibus illis tituli ac loci Stobaei, quibus indicantur.

10. Περὶ εὐχῆς.

Memoratur a Phrynicho (Fragm. LXXIII). Fortasse similitudo huic orationi fuit cum disputatione Maximi Tyrii, qui vulgaria vota ac preces quum carpat, philosophiam dicit τὸ μόνον εὔχεσθαι ἐπιστάμενον; cui preces sunt ὁμιλία καὶ διάλεκτος πρὸς τοὺς θέους περὶ τῶν παρόντων, καὶ ἐπίδειξις τῆς ἀρετῆς; cui adeo Socratis vita fuisse videtur μεστὴ εὐχῆς 1).

11. Περὶ ἰδεῶν.

Testis iterum Phrynichus (Fragm. LXXIV). Utrum universe de ideis, an praecipue de ideis Platonis Favorinus egerit, non apparet. Hoc veri est similius. Cf. p. 56.

12. Περὶ τῆς δημώδους σωφροσύνης.

Haec primae editionis lectio deinde sic corrupta est, ut pro δημώδους legeretur Δημάδους, quod quid sibi velit me nescire fateor: nam de Demade oratore id accipere et re vetamur et nomine, quod Δημάδου postulabat. Antiquum et genuinum δημώδους, in quo jam Pauwio *lenocinia inesse* videbantur, invito Lobeckio recepi. Rem ipsam ne quis miretur, τὴν δημώδη σωφροσύνην Plato commemorat 2).

13. Περὶ τῆς Ὁμήρου φιλοσοφίας.

Titulum suppeditat Suidas, fragmentum non superest. Fortasse e philosophorum numero eximi Homerum Fa-

1) Dissert. XI p. 125 sq. ed. Davis. 2) De Legg. IV p. 710 A.

vorinus noluit, cujus aetate jam invaluerat opinio, fabulis, quae de diis deabusque ferrentur, altius quid subesse quam vulgo videretur. Neque abs re esse puto conferre, quod de Anaxagora testatur Favorinus (Fragm. XXVI): *Δοκεῖ πρῶτος τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἀποφήνασθαι εἶναι περὶ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης*, quam rem pluribus persecutus sit Metrodorus Lampsacenus. Ceterum idem argumentum Maximus Tyrius tractavit [1]).

14. *Περὶ Σωκράτους καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ἐρωτικῆς τέχνης.*

Thema tritum et commune sophistarum, de quo Maximus Tyrius disputat [2]), hoc agens, ut Socratis in juvenes amorem honestum sanctumque fuisse ostendat. Neque est quod alio consilio ductum esse Favorinum putemus, quum de Socratis ejusque aequalium *ἐρωτικῇ τέχνῃ* dissereret. Certe si attendimus scripta Favorini (Fragm. LXVI. LXXXVI.) [3]), dubium esse non potest, quin magni fecerit Socratis doctrinam ejusdemque sit vitam ac mores admiratus. Quod autem in deperditis scriptis Galeni commemoratur liber *πρὸς Φαβωρῖνον κατὰ Σωκράτους*, eo non probatur quidem hunc Galeni librum *αντιγραφὴν* fuisse adversus dissertationem Favorini, sed probabiliora fiunt, quae modo de hujus argumento dicebam.

15. *Περὶ Πλάτωνος.*

De studio, quo Platonem Favorinus prosecutus est, dixi p. 56. Ad Platonem pertinent Fragm. V. VI.

1) Dissert. XXXII. 2) Dissert. XXIV—XXVII.
3) Cf. Philostr. p. 490 (12, 8).

XIII. XIV. XXII. XXIX. XXX. LI. LXV. LXVII. LXXXV.

Denique ad sophisticas dissertationes referenda videtur quae inscripta fuit

16. *Περὶ τῆς διαίτης τῶν φιλοσόφων.*

Ceterum nec de hac dissertatione, quae aeque ac superiores a Suida solo commemoratur, nec de ceterarum multis affirmari posse, fuerintne revera orationes sophisticae an philosophae commentationes, res ipsa loquitur. Tanta est testimoniorum penuria, ut haud facile certum ex argumentis judicium ferri possit. Sic fortasse et ego in his dum cupio meliora, deteriora sequor.

IV.

OPERA PHILOSOPHA.

1. *Πυῤῥωνείων τρόπων λόγοι ι'.*

Si Philostratum audimus [1]), prae aliis Favorini libris bene scripti fuerunt *οἱ φιλοσοφούμενοι τῶν λόγων, ὧν ἄριστοι οἱ Πυῤῥώνειοι.* Ejusdem operis laudes praedicans Gellius [2]), ubi de Pyrrhoneorum *σκέψει* agit: „Super qua re, inquit, Favorinus quoque subtilissime argutissimeque decem libros composuit, quos *Πυῤῥωνείων τρόπων* inscribit." De ordine, quo *τρόπους* illos exposuit, Diogenes Laertius [3]): *Τὸν ἔνατον*, inquit, *Φαβωρῖνος ὄγδοον, Σέξτος δὲ καὶ Αἰνεσίδημος δέκατον, ἀλλὰ καὶ τὸν δέκατον Σέξτος ὄγδοόν φησι, Φαβωρῖνος δὲ ἔνατον.* Singulos igitur *τρόπους*

1) p. 491 (13, 8). 2) XI. 5. 3) IX. 11. 87.

singulis libris interpretatus est; nam commentarium fuisse, quo decem illi modi explicarentur, quibus rerum scientiam omnem tollebant Pyrrhonei, non temere affirmare mihi videor. Novimus praeterea e Philostrato, Favorinum in hoc opere contendisse, Pyrrhoneos, quamvis in omnibus rebus judicium cohiberent, potuisse tamen judicis officium obire [1]).

Ceterum Plutarchum quoque, quem quidem Pyrrhoneis annumeraverit nemo, cum in aliis libris de horum doctrina disseruisse, tum scripsisse commentarium Περὶ τοῦ Πύῤῥωνος δέκα τρόπων, ex indice ejus librorum videmus [2]).

Sequatur jam commemoratio opusculorum, quae laudat Galenus in libello adversus Favorinum scripto, Περὶ ἀρίστης διδασκαλίας. Exposuit in illis de facultate cognoscendi, ita tamen ut inconstantiae incusaretur. Scripsit autem in usum discipulorum et interpretis potissimum partes egit, ipse quidem sententiam effatus, sed hortatus alumnos, ut ex contrariis invicem quas putarent veriores eligerent. Cf. p. 54-56.

2. Πλούταρχος ἢ περὶ τῆς Ἀκαδημαϊκῆς διαθέσεως.

Galeno teste, hoc libello Favorinus visus est concedere, quod alibi negavit, εἶναί τι βεβαίως γνωστὸν, vel ut ipse dixit, καταληπτόν. Vide porro Fragm. LXXVI-LXXIX.

---

1) l. l. τοὺς Πυῤῥωνείους ἐφεκτικοὺς ὄντας οὐκ ἀφαιρεῖται καὶ τὸ δικάζειν δύνασθαι.

2) Fabric. Bibl. Gr. Vol. V. p. 169 ed. Harl.

3. Πρὸς Ἐπίκτητον.

Formam retulit dialogi, in quo disputans inducebatur cum Epicteto Onesimus, Plutarchi servus; quali persona inducenda philosophus aulicus per jocum satis amarum risisse austerum Stoicum videtur, qui antea et ipse serviisset. Epicteti partes adversus Favorinum suscepisse Galenum puto in libello deperdito, qui inscriptus fuit Ὑπὲρ Ἐπικτήτου πρὸς Φαβωρῖνον [1]).

4. Ἀλκιβιάδης.

Hic liber, quem post superiores scriptum esse Galenus tradit, unde nomen duxerit non apparet, nisi idem intelligendus sit Alcibiades, qui Photio [2]) est Favorini aequalis *εἷς τῶν εἰς τὴν φυλακὴν τεταγμένων τοῦ Ἀδριανοῦ*, cui suam *Ὀλυμπιονικῶν καὶ χρονικῶν συναγωγὴν* Trallianus Phlegon dedicavit. Utut est, non crediderim datum nomen imitatione dialogorum qui Platoni tribuuntur. De argumento libri hoc constat ex Galeno: *Καὶ τοὺς ἄλλους Ἀκαδημαϊκοὺς ἐπαινεῖ, προσαγορεύοντας μὲν ἑκατέρῳ τῶν ἀντικειμένων λόγων, ἐπιτρέποντας δὲ τοῖς μαθηταῖς αἱρεῖσθαι τοὺς ἀληθεστέρους. Ἀλλ' ἐν τούτῳ μὲν εἴρηκε πιθανὸν ἑαυτῷ φαίνεσθαι μηδὲν εἶναι καταληπτὸν, ἐν δὲ τῷ Πλουτάρχῳ συγχωρεῖν ἔοικεν, εἶναί τι βεβαίως γνωστόν.* Fuerit igitur Ἀλκιβιάδης ὅλον illud βιβλίον, quo demonstrare Favorinus studuit, *μηδὲ τὸν ἥλιον εἶναι καταληπτόν* [3]). In

---

1) Galen. Περὶ ἰδίων βιβλίων λόγος. P. IV. p. 367.

2) Bibl. p. 83 b 25.

3) Si sol est *aliquid* et *καταληπτὸν nihil*, neque *sol καταληπτὸς* sit necesse est. Cur igitur cum Kaysero l. l. p. 183 credamus, peculiari libro ab *Alcibiade* diverso hoc demonstratum esse, *μηδὲ τὸν ἥλιον εἶναι καταληπτόν*?

hoc autem similibusque opusculis, quamvis a Galeno jure fortasse vituperatis, rerum physicarum peritiam, qua excelluisse Favorinum dictum est p. 59, imprimis eluxisse, conjicere licet.

5. Πρὸς Ἀδριανὸν
6. Πρὸς Δρύσωνα } περὶ τῆς καταληπτικῆς φαντασίας.
7. Πρὸς Ἀρίσταρχον

Omnes inscriptos fuisse Περὶ τῆς καταληπτικῆς φαντασίας diserte Galenus testatur. Sintne aequalium nomina an secus, quis dixerit? Quamquam non mirum, si de *Hadriano* Imperatore cogitandum, nomen autem Δρύσων corruptum sit [1]). De consilio scriptoris Galenus: Καὶ καθ' ὅλα γε αὐτὰ γενναίως ἀγωνίζεται πειρώμενος ἐπιδεικνύναι τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν ἀνύπαρκτον.

V.

Γνωμολογικά.

Studebat et solebat Favorinus, ut vidimus p. 62, sententiose dicta sive γνώμας ita adhibere, ut in vitae usum conferret. Cui quidem studio debentur fortasse Γνωμολογικά, quae edidisse traditur a Suida et excerpsisse videtur Stobaeus [2]). Has γνώμας, sive ad Γνωμολογικὰ sive alio pertinuerunt, quam diligentissime potui

1) Tuetur tamen, fortasse e codice Flor., Kayserus lectionem Δρύσωνα contra Fabric. Δύσωνα.

2) S. Maximus dubito an ipsos Favorini Commentarios legerit. Quod partim easdem quas Stobaeus γνώμας commemorat, partim alias, id ita explico, ut integro Stobaei exemplari eum usum esse credam.

collectas in extremis hujus dissertationis paginis descriptas dabo [1]).

Superest ut de iis dicam libris, quos Favorino vel antiqui vel recentiores falso tribuerunt.

Jam Philostrati [2]) aetate libellus circumferebatur Πρόξενος inscriptus, qui nomen Favorini mentiebatur. Qua fraude nescias fere utrum voluerit scriptor maculam Favorino adspergere, an, quod magis placet, ut quaestum faceret librarius, clarissimi Sophistae nomine abuti. Sed fefellit fraudatorem opinio, si quid e Philostrati judicio statuendum, qui, *τὰ μὲν δὴ ἐς Πρόξενον*, inquit, *μήτ' ἂν ἐνθυμηθῆναι τὸν Φαβωρῖνον ἡγώμεθα μήτ' ἂν συνθεῖναι, ἀλλ' εἶναι ταῦτα μειρακίου φρόντισμα μεθύοντος, μᾶλλον δὲ ἐμοῦντος.*

Multo difficilior atque impeditior quaestio est de oratione *Corinthiaca* falso Dioni Chrysostomo adscripta, quam Favorino vindicare majore ingenii acumine et eruditione quam argumentorum pondere et probabilitate Emperius studuit [3]). Quod ostendere quamvis sit difficillimum, tamen hujus loci esse arbitror.

Hoc igitur Emperio concedo, quod praeter illum Grauertus [4]), Niebuhrius [5]) et Geelius [6]) censuerunt, ab-

---

1) Leguntur inde a Fragm. CIII—CXIV.

2) p. 491 (13, 3). 3) Opusc. p. 20—34.

4) In thesi post disputationem Aesopeam proposita, ut Geelius monuit, Bibl. crit. nov. V. p. 582.

5) Hist. Rom. I. p. 118. Niebuhrius abjudicatam Dioni orationem esse Musonii putavit, vel hujus certe nomine circumlatam; argumenta non attulit. Cf. Geelius l. l. et Comment. de Dion. oratt. p. 341.

6) Utroque loco laud.

judicandam esse Dioni orationem Corinthiacam, quia quae ibi leguntur ab hujus oratoris vita moribus, dicendi ratione abhorrent; sed eundem affirmantem, quadrare ea omnia in Favorinum, ita falli existimo, ut pleraque a Favorino aliena judicem; id quod Emperius ipse sensisse videtur [1]), significavit humanissime Geelius [2]). Praecipua argumentationis suae capita petit ille ex loco, qui est [3]) inde a verbis *Εἰ δέ τις οὐ Λευκανὸς ὤν, ἀλλὰ Ῥωμαῖος* usque ad *βλέπων εἰς τοῦτον*, quae nobis deinceps spectanda sunt. Quum nullum adsit certum indicium, ex quo quando sit habita haec oratio constet, id ipsum observans Emperius (p. 28), *τὸν προστάτην*, quem orator *ἔπεισεν ἀποκλίνειν πρὸς τὰ τῶν Ἑλλήνων*, *conjicit* esse Hadrianum Imperatorem. At non solum Hadrianus, sed ceteri deinceps Imperatores usque ad Diocletianum fere omnes, cum ipsi literas Graecas prae Latinis coluerunt, tum illarum studio praecipue faverunt, ut sicubi de Graecissante Imperatore sermo est, non debeat unus Hadrianus intelligi. Quid, quod Hadrianus non Imperator demum, sed jam *puer* ad literarum Graecarum stu-

1) Sic enim scribit p. 21: „Conatus sum orationem a Dione abjudicatam alii auctori addicere. Quod si mihi hactenus cesserit, ut aliquam veri speciem conjecturae meae conciliem, egregie mecum actum existimabo. Nam persequenda erant vestigia rara, nec ea satis expressa, quoniam ejus, quem in Dionis locum substituturus eram, etsi scriptoris haud ignobilis, nulla tamen, ad quae Corinthiaca exigatur, ingenii monumenta exstant."

2) Annot. in Dion. Chrys. oratt. p. 342, ubi: „Quo magis amplector sententiam Emperii, qui si satis probare nondum potuit Favorinum Corinthiacae scriptorem esse, ea certe sagacissime conjecit, quae redarguere difficile sit."

3) Ed. Morell. p. 461, ed. Emperii p. 528.

dium est adductus? Quippe qui, ne repetam quae attuli p. 2, neglectas a se Latinas literas colere demum coepit, cum quaestor in senatu orationem Imperatoris pronuntians derisus esset 1). Ipse vero Imperator aequales suos ut Graecis litteris operam navarent et exemplo est hortatus et re adjuvit. Adde quod ejusmodi jactatio ut non potuit non offendere Imperatorem, qui esse et videri omnibus in rebus primus gestiebat, ita pugnat cum prudentia et cauta moderatione, qua erga Hadrianum usum esse Favorinum vidimus p. 20 sq.

Quae omnia si qui levia putent et sic explicanda, ut Favorinus praeceptor fuerit adolescentis Hadriani, hic autem Imperator gratum animi sensum interdum ob ambitionem suppnimeret, ii vereor ut quidquam proferant nisi conjecturam inanem. Quid enim? Num probabile, hujus rei memoriam ita jam pridem fuisse exstinctam vel exigui momenti habitam, ut qui de Hadriano et de Favorino scripserunt, omnes ignorarint vel narrare supersederint? Accedit aliud. Mortuus est Hadrianus annum agens sexagesimum tertium 2) a. 138; at Favorinum a. 143 in vivis fuisse certo constat (p. 22 sq.). Ergo Favorinus nisi decrepitus senex obierit, vix potuit esse Hadriano puero vel adolescenti literarum Graecarum praeceptor.

Paulo diutius in hac quaestione tractanda ideo sum moratus, quod in ea, ut ita dicam, rei cardo versari videtur. Nam si προστάτης de Imperatore Hadriano accipiendum est, hunc autem Favorinus dici non potuit

1) Ael. Spartian. III.

2) Clinton F. R. p. 126. Magis etiam faveret sententiae nostrae lectio vulgaris apud Spartian. l. l. XXV. s. f., qua a° aetatis LXXIII Hadrianus obiisse traditur.

πεῖσαι ἀποκλίνειν πρὸς τὰ τῶν Ἑλλήνων, ecquem alium Imperatorem permoverit? Sequitur, orationem Corinthiacam non esse Favorini. Tamen ne subterfugere cetera videar neve quid dubii restet, quae porro afferuntur quoad potero examinabo.

Favorini aetate non valuit in Corinthios, quod dicit orator: *Ὑμεῖς ἐστε νῦν τὸ δὴ λεγόμενον πρῶρα καὶ πρύμνα τῆς Ἑλλάδος*. Valuit in Athenas, quibus omni modo Hadrianus veterem dignitatem ac gloriam reddere studuit [1]).

Veniamus ad argumentum orationis. Argumentum Corinthiacae hoc est. Corinthii rumoribus adversis, sed iis, ut auctor contendit, falsis ducti, statuam ejus, propter facundiam viri et philosophiae studium in publica bibliotheca collocatam, e medio sustulerant [2]). Quales vero isti rumores fuerint, nec difficile est perspicere et jam pridem perspexit Reiskius. Incusabatur quoddam ejus Romae commissum libidinosum flagitium [3]). Conjungit haec Emperius cum narratione Philostrati de Favorini statua ab Atheniensibus eversa. Sed conferenti quae supra disputavi p. 20, aliam rem ab oratore spectari patebit, aliam a Philostrato. Illius statuam Corinthii dejecerunt ob falsam libidinosi flagitii criminationem, Favorini Athenienses *ὡς πολεμιωτάτου τῷ αὐτοκράτορι*, a quo immunitatem petierat *ἀρχιερείας*. Sic non eadem res utrobique respicitur; quae si fuit, mirum profecto, quod Corinthiorum Philostratus nullam facit mentionem. Quid, quod orator ab Imperatore falsa cri-

---

1) Cf. Clinton p. 108, 110, 124, supra p. 2.
2) Emperius p. 24. 3) Emperius p. 27.

minatione absolutus est [1])', Favorino contra ἀτέλεια denegata? Quae autem jactavit gloriabundus orator, fore ut ignominia notarentur inter Graecos Corinthii, quod cujus statuam hi dejecissent, omnes illi non solum exciperent libenter, sed legatos ad eum mitterent, tribuerentque ei honores ac statuas ponerent [2]); — haec num palam orator dixisset, si in omnium Graecarum civitatum principe, Athenis, ipsius statuam evertissent?

Nec favent Emperii sententiae, quae de se ipse orator testatur. „Equitem Romanum se profitetur." — At esto eques Romanus: unde Favorinum constat huic ordini fuisse adscriptum? Videri vult orator οὐδὲ τὴν φωνὴν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν γνώμην καὶ τὴν δίαιταν καὶ τὸ σχῆμα τῶν Ἑλλήνων ἐζηλωκώς, καὶ τοῦθ' οὕτως ἐγκρατῶς καὶ περιφανῶς, ὡς οὔτε τῶν πρὸ αὐτοῦ Ῥωμαίων, οὔτε τῶν καθ' αὐτὸν Ἑλλήνων (εἰρήσεται γάρ) οὐδὲ εἷς· — καὶ τὸ πολιτικὸν ἀξίωμα καὶ πάνθ' ἁπλῶς προϊέμενος, ἵν' αὐτῷ περιῇ ἓν ἀντὶ πάντων, Ἕλληνι δοκεῖν τε καὶ εἶναι [3]). Videri talis Favorinus non potuit, qui civis Romanus ut erat, ita cupiebat haberi (p. 11); qui in Graecas literas propensior, Latinarum et studiosissimus fuit et peritissimus (p. 24 sqq.). Quod autem orator barbarorum haud paucos a se adductos ait ut secum philosopharentur, et paulo post, effecisse se apud Celtas, ἵνα μηδὲ τῶν βαρβάρων μηδεὶς ἀπογιγνώσκῃ τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας, id fateor non potuisse de se praedicare Dionem, sed nego *voluisse* Favorinum, quippe qui Arelate, Celtarum civitate, natus Celtam se

1) Cf. Emperius p. 27. not. 4. fin.
2) Orat. Corinth. ed. Morell. p. 464, Emper. p. 531.
3) p. 461 Mor., p. 528 Emp.

ipse profiteretur (p. 10. 21.); imo *potuisse* nego, si recte tradit Avienus [1]) olim Graecos Arelaten incoluisse, et si vere conjicio, in hoc *celeberrimo emporio* jam Strabonis aetate ob vicinam Massiliam Graecas literas invaluisse (p. 10, 12); quamquam, deducta colonia Romana, Latinas quoque ibidem non neglectas fuisse apertum est [2]). Verbo, Hadriano imperante nec Arelatenses nec omnino Galliae Narbonensis incolae poterant aliquo jure barbari appellari. Celtarum autem nomen ut latissime patuit [3]), ita orator, quisquis fuit, nusquam Celtas cives suos dicit.

Ceterum quae de Favorini ratione dicendi Emperius disputavit, sunt ea verissima et conveniunt simul in orationem Corinthiacam. Atqui genus illud dicendi non unius Favorini proprium, sed commune artis fuit. Recte enim Emperius ipse monuit (p. 23): „*Est communis quaedam* hujus sophisticae *indoles*, etsi genera ejus diversa agnoscantur, *tam signata et expressa ut nequeat ignorari;* et quoniam ad alia quoque litterarum genera aliquid coloris illius sophistici redundavit, *hoc uno indicio* plerumque judicari licet, quid ante Hadrianum scriptum sit, quid postea."

His maxime causis adductus Corinthiacam orationem Favorino tribuere dubito. De ceteris libris eidem abju-

---

1) Or. mar. vs. 679. (*Poet. Lat. min. Wernsd. V. P. III*):

Arelatus illic (ad Rhodanum) *civitas attollitur*
Theline vocata sub priore saeculo,
Grajo incolente.

2) P. Clodius Quirinalis *Arelatensis,* cujus meminit Suetonius in indice clarorum rhetorum, memoratur ab Eusebio Chron. II., ut qui jam anno p. C. 46 Romae insigni cum laude docuerit.

3) Cf. Kayserus Annott. ad Philostr. p. 576 (80, 26).

dicandis jam dicturo multo esse breviorem licebit, siquidem originem, ut ita dicam, illi debent locis veterum male scriptis vel male lectis. Mitto Ἐπιτομὴν τῆς Παμφίλης, de qua hoc saltem ostendi, certi quid vix posse statui; mitto Περὶ Κυρηναϊκῆς πόλεως, quem librum evici librariorum negligentia Favorino obtrusum esse; porro dissertationem, qua Favorinum de industria demonstrasse *ne solem quidem καταληπτὸν esse* Kayserus putavit (cf. p. 90); sed idem hic per errorem finxit Favorinum libri alicujus Περὶ Σωκρατικῶν scriptorem [1]), eique fidem habuit Bernhardy [2]). Qui locum Diogenis Laertii [3]), quem laudat Kayserus, inspexerit, Phaniae commentarium fuisse agnoscet. — Qui ex alio Diogenis loco [4]) collegerat, librum Favorini prodiisse, cui titulus Μητρῷον, Vossium dico, hic dudum refutatus est a Casaubono: prava enim verborum interpunctio fraudi viro egregio fuerat. — Denique, quod ait Kayserus [5]): „Isagoge ad geographiam fuerint προτεχνολογήματα ἐθνικῶν. cf. Steph. Byz. s. v. Αἰθίοψ;" id falsum esse Westermannus probavit, quum Ἐθνικὰ eorumque προτεχνολογήματα ipsi Stephano vindicaret [6]).

1) p. 183. 2) Ad Suid. v. Φαβωρῖνος. 3) VI. 1. 8.
4) II. 5. 40. 5) l. l. p. 182. 6) Praef. Steph. Byz. p. V sq.

FAVORINI

QUAE SUPERSUNT.

I.

COMMENTARII GRAMMATICI (?).

1. Macrob. *Saturn.* II. 14. Nux terentina dicitur, quae ita mollis est, ut vix attrectata frangatur. De qua in *libro Favorini* sic reperitur: *Item quod quidam Tarentinas oves vel nuces dicunt, quae sunt terentinae a* tereno, *quod est Sabinorum lingua* molle: *unde Terentios quoque dictos putat Varro ad Libonem primo.*

Idem tamen Varro R. R. II. 2. 18 *Tarentinas* lanas, ut oves Columella VII. 2. 3, commemorat. Nuces terentinae esse a Plinio H. N. XV. 9 dicuntur „digitis fragili putamine." At ibidem XV. 24 sermo est, de *Tarentinarum* nucum duobus generibus, „fragili putamine." Satis apparet, utroque loco easdem nuces significari atque adeo vocabulum similiter scribendum esse." Altero *terentinarum* legi maluit L. Janus, quem vide ad Macrobii l. l. p. 347. Videntur autem *terentinae* illae nuces a *Tarentinis* castaneis, quae ad idem genus fructuum referuntur, distinguendae; id quod fortasse Favorinus quoque voluit. Certe Plinio teste l. l. 25.: „Tarentina (castanea) minus tractabilis. Patria laudatissimis Tarentum, et in Campania Neapolis."

II.

SCRIPTA HISTORICA.

1.

Ἀπομνημονεύματα.

E libro I.

2. Diog. Laert. I. 4. 79. Γέγονε καὶ ἕτερος Πιττακὸς νομοθέτης, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν Ἀπομνημονευμάτων πρώτῳ καὶ Δημήτριος ἐν Ὁμωνύμοις, ὃς καὶ μικρὸς προσηγορεύθη.

De hoc Pittaco dubito an praeterea quidquam memoriae sit proditum. Edonum regis ὁμωνύμου mentionem facit Thucydides IV. 107.

3. Diog. Laert. II. 5. 23. Καὶ Πυθώδε ἐλθεῖν (Σωκράτην) Ἀριστοτέλης φησίν· ἀλλὰ καὶ εἰς Ἰσθμόν, ὥς Φαβωρῖνος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀπομνημονευμάτων.

Auctor Plato Criton. p. 52 B: Οὐκ ἐπὶ θεωρίαν πώποτε ἐκ τῆς πόλεως ἐξῆλθες, ὅτι μὴ ἅπαξ εἰς Ἰσθμόν.

4. Diog. Laert. II. 5. 39, 40. Φαβωρῖνός φησιν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀπομνημονευμάτων, μὴ εἶναι ἀληθῆ τὸν λόγον τὸν Πολυκράτους κατὰ Σωκράτους· ἐν αὐτῷ γάρ, φησί, μνημονεύει τῶν ὑπὸ Κόνωνος τειχῶν ἀνασταθέντων, ἃ γέγονεν ἔτεσιν ἓξ τῆς τοῦ Σωκράτους τελευτῆς ὕστερον· καὶ ἔστιν οὕτως ἔχον. Ἡ δ' ἀντωμοσία τῆς δίκης τοῦτον εἶχε τὸν τρόπον· ἀνάκειται γὰρ ἔτι καὶ νῦν, φησὶ Φαβωρῖνος, ἐν τῷ Μητρῴῳ· „Τάδε ἐγράψατο καὶ ἀντωμόσατο Μέλητος Μελήτου Πιτθεὺς Σωκράτει Σωφρονίσκου Ἀ-

λωπεκῆθεν· ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος· ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων. τίμημα θάνατος."

Vulgarem de Polycrate famam sequitur Quintilianus, Inst. Orat. III. 1. 11., II. 17. 4, ubi quae Spaldingius annotavit, repetere non opus est. Cf. Lozynski Herm. Smyrn. fragm. p. 105. Re autem vera sexennio post Socratis mortem muros Athenarum a Conone coeptos esse restitui, testimonia arguunt, quae contulit Clintonus F. H. p. 99 et 104.

5. Diog. Laert. III. 1. 20. Τὸν Πόλλιν λόγος ὑπό τε Χαβρίου ἡττηθῆναι, καὶ μετὰ ταῦτα ἐν Ἑλίκῃ καταποντωθῆναι, τοῦ δαιμονίου μηνίσαντος αὐτῷ διὰ τὸν φιλόσοφον (Πλάτωνα), ὡς καὶ Φαβωρῖνός φησιν ἐν πρώτῳ τῶν Ἀπομνημονευμάτων.

Victus est a Chabria Pollis Lacedaemonius ad Naxum Ol. 101. 1 (Xenoph. Hell. V. 4. 61). Quem unde resciverit Menagius demersum esse in mare ad Helicen, *ab hostibus captum et eo supplicio damnatum*, non assequor. Helice et Bura oppida terrae motu facto submersa sunt duobus annis ante Leuctricam pugnam, atque adeo Ol. 101. 4, ut diserte testantur Diod. Sic. XV. 48 et Pausanias VII. 25. 4. Rem ipse Favorinus commemorat (Fragm. CIX), qui quum post pugnam apud Naxum periisse Pollin scribat, temporis certe ratio non obstat quominus hunc cum Helices urbis ruina una interiisse putemus. Quid, quod Lacedaemoniorum classem decem navium eo ipso tempore ad Helicen in statione fuisse Aelianus tradit H. A. XI. 19? Ibi submersam classem dicit, praefectum classis non nominat, quem equidem Pollin fuisse dixerim. Cf. de eo Fragm. XXX. Ceterum pro Πόλλις saepe legitur Πόλις, qualis commutatio in nominibus propriis est admodum crebra et dijudicatu difficilis.

6. Diog. Laert. III. 1. 25. Ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀπομνημονευμάτων Φαβωρίνου φέρεται, ὅτι Μιθριδάτης ὁ Πέρσης ἀνδριάντα Πλάτωνος ἀνέθετο εἰς τὴν Ἀκαδημίαν καὶ

[illegible] Μουσαις εἰ-
[illegible]

[illegible] quitam cum [illegible] Paulo doctore [illegible] Plinius H. N. [illegible] Parenis status [illegible] [illegible] cumulum [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible]

dubito quin corruptum sit nomen, quamquam eodem modo scriptum legitur in Anecd. Crameri II. p. 239, 13.

8. Diog. Laert. VIII. 2. 73. Ἔτι τε πολλὰς τῶν πολιτίδων ἀπροίκους ὑπαρχούσας αὐτὸν (Ἐμπεδοκλέα) προικίσαι διὰ τὸν πάροντα πλοῦτον· διὸ δὴ πορφύραν τ' ἀναλαβεῖν αὐτὸν καὶ στρόφιον ἐπιθέσθαι χρυσοῦν, ὡς Φαβωρῖνος ἐν Ἀπομνημονευμάτων πρώτῳ· ἔτι τ' ἐμβάδας χαλκᾶς καὶ στέμμα Δελφικόν.

Descripsere Diogenis locum Eudocia p. 170 atque a Menagio laudatus Hesychius Milesius p. 24 ed. Orell.; illustravit Karsten Philos. Graec. Rell. II. p. 30 sqq.

9. Diog. Laert. IX. 2. 20. Φησὶ Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῷ Περὶ γήρως καὶ Παναίτιος ὁ Στωϊκὸς ἐν τῷ Περὶ εὐθυμίας, ταῖς ἰδίαις χερσὶ θάψαι τοὺς υἱεῖς αὐτὸν (Ξενοφάνην), καθάπερ καὶ Ἀναξαγόραν. δοκεῖ δὲ πεπρᾶσθαι ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν Παρμενίσκου καὶ Ὀρεστάδου, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν Ἀπομνημονευμάτων πρώτῳ.

Illud δοκεῖ δὲ πεπρᾶσθαι, h. e. *veniisse*, quum nec cum praegressis cohaereat nec per se credibile sit, multi cum Casaubono correxere πεπρᾶχθαι, interpretantes *idem factum esse* a Parmenisco et Orestiade. Sed, ut recte observat Karstenius Op. cit. I. 1. p. 15, si hoc voluit Diogenes, scripsit certe obscurius. Idem vir clar. suspicatus Xenophani *victum* ab illis *suppeditatum esse*, τεθράφθαι legendum conjecit. Mihi quum requiri verbum videatur, quo testimonium Favorini quodammodo conjungatur cum narratione Demetrii, in mentem venit, una litera mutata, corrigere πεπλάσθαι. Favorinum scripsisse puto totam rem fabulam esse, a Pythagoreis illis fictam, πλάσμα, ut ajunt. Ceterum de Parmenisco cf. Athenaeus XIV p. 614 A. A Jamblicho Vit. Pyth. XXXVI. 267 in claris Pythagoreis numerantur *Metapontini* Παρμίσκος et Ὀρεστάδας, quorum illud mutandum esse in Παρμενίσκος jam plures monuerunt. Idemne sit an ejusdem nominis gram-

maticus, qui laudatur in Etymol. M. v. Ἄρεω p. 138, 10, non liquet.

E libro II.

10. Diog. Laert. IV. 1. 5. Φησὶ Φαβωρῖνος ἐν δευτέρῳ Ἀπομνημονευμάτων, ὡς Ἀριστοτέλης αὐτοῦ (Σπευσίππου) τὰ βιβλία τριῶν ταλάντων ὠνήσατο.

Idem narrat Gellius III. 17. 3: „Aristotelem traditum libros pauculos Speusippi philosophi post mortem ejus emisse talentis Atticis tribus." Cf. Stahrius Aristot. I p. 116.

11. Diog. Laert. V. 1. 21. Φησὶ Φαβωρῖνος ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν Ἀπομνημονευμάτων, ὡς ἑκάστοτε λέγοι (Ἀριστοτέλης)· „ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος."

Hoc παράδοξον de πολυφιλίᾳ accipiendum esse satis apparet, etiam ex iis quae scripsit Aristoteles v. c. Ethic. Nic. VIII. 6 et IX. 10. Eadem sententia, sed addito πολλοὶ ante φίλοι, legitur Eudem. VII. 12. Idem h. l. inseri suadet oppositum οὐδείς.

12. Diog. Laert. VI. 5. 89. Τούτου (Κράτητος) γέγονε Πασικλῆς ἀδελφὸς, μαθητὴς Εὐκλείδου· χάριεν δ' αὐτοῦ Φαβωρῖνος ἐν δευτέρῳ τῶν Ἀπομνημονευμάτων φέρει. Φησὶ γάρ· „Παρακαλῶν περί του τὸν γυμνασίαρχον, τῶν ἰσχίων αὐτοῦ ἥπτετο· ἀγανακτοῦντος δὲ, ἔφη· Τί γάρ; οὐχὶ καὶ ταῦτα σά ἐστι, καθάπερ καὶ τὰ γόνατα; ἔλεγέ τ' ἀδύνατον εἶναι ἀδιάπτωτον εὑρεῖν, ἀλλ' ὥσπερ ἐν ῥοιᾷ ἀεὶ καὶ σαπρόν τινα κόκκον εἶναι".

Locus de Demetrio Phalereo, ex hoc libro depromptus, descriptus est supra Fragm. VII.

E libro III.

13. Diog. Laert. III. 1. 40. Καὶ ἐτελεύτα μὲν (Πλά-

των) ὃν εἴπομεν τρόπον, Φιλίππου βασιλεύοντος ἔτος τρισκαιδέκατον, καθὰ καὶ Φαβωρῖνός φησιν Ἀπομνημονευμάτων τρίτῳ.

In computandi ratione, non in computatione ipsa, differt Favorinus a ceteris scriptoribus, quornm locos contulit Clintonus p. 149. Cf. Lozynski Hermippi Smyrnaei fragm. p. 98 sq. Illi igitur omnes mortuum Platonem tradunt Ol. 108. 1. Ne qui testis desideretur, addo Eusebium, qui Platonis obitum refert ad Ol. 108. 4.

Alter locus, qui ad hunc librum pertinet, legitur Fragm. XXIII.

E libro V.

14. Diog. Laert. III. 1. 62. Νοθεύονται τῶν (Πλάτωνος) διαλόγων ὁμολογουμένως Μίδων ἢ Ἱπποτρόφος, Ἐρυξίας ἢ Ἐρασίστρατος, Ἀλκυὼν, Ἀκέφαλοι ἢ Σίσυφος, Ἀξίοχος, Φαίακες, Δημοδόκος, Χελιδὼν, Ἑβδόμη, Ἐπιμενίδης· ὧν ἡ Ἀλκυὼν Λέοντός τινος εἶναι δοκεῖ, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν τῷ πέμπτῳ τῶν Ἀπομνημονευμάτων.

Alcyonem Platonis non esse, adeo una est et consentiens omnium vox, ut v. c. Socherus ne verbo quidem hunc dialogum attigerit, Astius (Platon's Leben u. Schr. p. 503) satis habuerit monuisse, Favorinum et Niciam Leonti eum adscripsisse. Cf. Hermann Gesch. u. Syst. d. Plat. Phil. p. 413. Sed neque discipuli Platonis esse videtur, neque omnino Academici. Cf. Hermann p. 585. Quapropter et cautius et rectius Alcyonem Leonti *cuidam* Favorinus, quam Leonti *Academico* tribuit Nicias Nicaënsis apud Athen. XI p. 506 C. Quod vero cum Mureto multi Alcyonem Luciano adscripserunt, id quam falso fecerint vel ex hoc Favorini fragmento apparet. Ex eo enim, quod de scriptore dialogi Favorinus quaesivit eumque, quisquis fuit, satis antiquum certe esse existimavit, sequitur, Lucianum, qui Fa-

vorino junior fuit, scriptorem esse non potuisse. Itaque operam perdiderunt qui Alcyonem vindicare Luciano studuerunt; in his nuperrime Jacobsius, Charon d. Lucian p. 78, 153. Cf. Hermann l. l. p. 577.

15. Diog. Laert. IX. 3. 23. Δοκεῖ πρῶτος (Παρμενίδης) πεφωρακέναι τὸν αὐτὸν εἶναι Ἕσπερον καὶ Φωσφόρον, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν πέμπτῳ τῶν Ἀπομνημονευμάτων· οἱ δὲ Πυθαγόραν.

Eadem legas apud Suidam v. Ἕσπερος. Parmenidem autem huic astro candore insigni insignem assignasse sedem, supra solem in purissimo coelo collocantem, docet Karsten l. l. II. p. 249; qui tamen animadvertit p. 255, placitum istud, Hesperum eundem esse ac Luciferum, quod Favorinus h. l. Parmenidi tribuit, a pluribus et gravioribus testibus Pythagorae auctori tribui. Hinc Diog. Laert. VIII. 1. 14: Πρῶτόν τε (φασὶ Πυθαγόραν), inquit, Ἕσπερον καὶ Φώσφορον τὸν αὐτὸν εἰπεῖν, οἱ δέ φασι Παρμενίδην. Sic enim pro ὥς φησι Παρμενίδης edidit Cobetus, quam emendationem jam proposuerat Karstenius l. l., nisi praestaret corrigere ὡς δέ φησι Φαβωρῖνος, Παρμενίδην. Intelligendum certe esse Favorinum superiora arguunt.

---

16. Diog. Laert. III. 1. 48. Διαλόγους φασὶ πρῶτον γράψαι Ζήνωνα τὸν Ἐλεάτην· Ἀριστοτέλης δ' ἐν πρώτῳ Περὶ ποιητῶν Ἀλεξαμενὸν Στυρέα ἢ Τήϊον, ὡς καὶ Φαβωρῖνος ἐν Ἀπομνημονεύμασι.

Ut ab Aristotele in libro Περὶ ποιητῶν Diogenes, ita Athenaeus XI p. 505 B. C. a Nicia Nicaënsi et Sotione in Διαδοχαῖς idem traditum fuisse testatur.

17. Diog. Laert. VIII. 2. 53. Εὗρον ἐν τοῖς Ὑπομνήμασι Φαβωρίνου, ὅτι καὶ βοῦν ἔθυσε τοῖς θεωροῖς ὁ Ἐμπεδοκλῆς ἐκ μέλιτος καὶ ἀλφίτων, καὶ ἀδελφὸν ἔσχε Καλλικρατίδην.

Quidquid, cum avo confundentes nepotem, nonnulli de Empedocle Olympiae victore commenti sunt, non constat fabulatoribus illis Favorinum annumerandum esse, quamvis hujus testimonium cum illorum fabulis conjungat Diogenes. Qua de re cf. omnino Karsten l. l. p. 6 sqq., qui nostrum locum respiciens: „quod ad illam ficti bovis immolationem attinet, inquit, id haud dubie ad physicum Empedoclem spectat, qui vulgo Pythagoreus habitus est; ab avo vero ejus plane alienum est, nisi forte lubeat hunc quoque Pythagoreis adnumerare, sicut nonnulli arbitrati sunt. Ceterum res ista utrum vera sit, an ficta ad Pythagorae exemplum, quem a victimarum caede abhorruisse constat, incertum; etsi fatendum eam ab Empedoclis placitis moribusque nequaquam abhorrere." Pertinere res videtur ad Καθαρμοὺς Empedoclis, Olympiae a Cleomene rhapsodo cantatos (Fragm. XVIII). „Optime sane concinit cum argumento Καθαρμῶν, in quibus victimarum caedem ut impiam et scelestam vituperat." Quae sunt Karstenii verba l. l. p. 41.

18. Diog. Laert. VIII. 2. 63. *Τοὺς Καθαρμοὺς (Ἐμπεδοκλέους) ἐν Ὀλυμπίᾳ διαρραψῳδῆσαι λέγεται Κλεομένην τὸν ῥαψῳδὸν, ὡς καὶ Φαβωρῖνος ἐν Ἀπομνημονεύμασι.*

Idem narrat Dicaearchus apud Athenaeum XIV p. 620 C. „Quando id (etsi non constat) potius factum credamus quam praesente ipso, quo facilius carmina sua hominum studiis commendaret et illorum de se judicia cognosceret? Similiter et Xenophanes carmina sua ipse ἐῤῥαψῴδει, et Herodotus historiarum partem in publico conventu vel Olympiorum vel Panathenaeorum recitasse proditur. Tale certamen Empedoclis ingenio multo sane dignius, quam certamen velocitatis, a nonnullis falso ei tributum." Ita Karsten p. 40 sq., quem de Καθαρμοῖς ipsis disputantem legas p. 67 sqq.

19. Diog. Laert. VIII. 8. 90. *Ἐτελεύτησεν (Εὔδοξος ὁ Κνίδιος) τρίτον ἄγων καὶ πεντηκοστὸν ἔτος. ὅτε δὲ συνεγένετο ἐν Αἰγύπτῳ Χονοῦφιδι τῷ Ἡλιουπολίτῃ, ὁ Ἆπις αὐτοῦ θοιμάτιον περιελιχμήσατο. ἔνδοξον οὖν αὐτὸν, ἀλλ'*

ὀλιγοχρόνιον ἔφασαν οἱ ἱερεῖς ἔσεσθαι, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν Ἀπομνημονεύμασιν.

In superioribus narratur Eudoxus cum Chrysippo medico in Aegyptum venisse, acceptis ab Agesilao literis, quibus Nectanabi commendaretur, a quo rursus sacerdotibus commendatum degisse in Aegypto annum unum et menses quatuor. E Favorino patet in his sacerdotibus Chonuphin fuisse Heliopolitanum, eundemque Eudoxo factum familiarem. Neque alius Chonuphis fuerit προφήτης, apud quem Memphide degit Plato, teste Plutarcho De gen. Socrat. VII. Quod enim Clemens Alex. Stromat. I p. 131 Sylb. Platonem Σεχνούφιδι τῷ Ἡλιοπολίτῃ praeceptore usum narrat, Eudoxum Cnidium Κονούφιδι τῷ καὶ αὐτῷ Αἰγυπτίῳ, is error originem duxit a nomine Χονοῦφις, jam antiquitus alibi aliter scripto vel corrupto. At major est ex hac utriusque philosophi cum Chonuphi familiaritate natus error. Quid multa? Refert Strabo XVII p. 806, Platonem *simul* cum Eudoxo tredecim annos Heliopoli apud sacerdotes commoratum esse, ibique ostendi utriusque domos. Qui huc Plutarchi locum traxere supra laudatum, specie magis decepti sunt quam probabili argumento nisi. Ait illic Simmias, quo tempore ipse cum Platone et Ellopione Peparethio Memphide philosopharetur, venisse ad Chonuphin Agetoridam Spartanum, multas epistolas ab Agesilao afferentem. De Eudoxo siletur, nisi quod sub finem narrationis dicitur Plato, in reditu ex Aegypto degens in Caria, consulentibus ipsum Deliis auctor fuisse, ut Eudoxum potius Cnidium adirent vel Cyzicenum Helicona. Neque ad Nectanabin Agetoridas venisse traditur. Quid, quod supra vidimus, literas quibus commendaretur ipsum Eudoxum attulisse? Solus igitur Strabo Eudoxum et Platonem *simul* in Aegypto degisse refert, quod ex temporum ratione tam parum procedit, ut ideo alterum Platonis iter in Aegyptum finxerit Clintonus F. H. p.377 sq. (ed. Krueg.), jure vituperatus cum ab aliis, tum ab Hermanno l. l. p. 57, 114. Verbo, suadent omnia ut multo ante Eudoxum Platonem apud Aegyptios versatum et Strabonem falsum esse putemus, qui in hoc quoque fallitur, quod ἀποδημίαν illam durasse ait τρισκαίδεκα ἔτη; quamquam τρία ἔτη in epitome legitur, cauteque additur ὡς εἴρηταί τισι. Edoctus

Platonem *et* Eudoxum aliquamdiu Memphide degisse, Strabo Platonem *cum* Eudoxo ibi commoratum credidit ac retulit. Qua diligentia subinde in ejusmodi rebus veteres scriptores usi sint, etiam inde patet, quod Platoni in Aegyptum proficiscenti comitem Euripidem dederunt (Diog. Laert. III. 1. 16), diu ante mortuum, Ol. 93. 3.

2.

Παντοδαπὴ ἱστορία.

E libro I.

20. Steph. Byz. Τετράπολις τῆς Ἀττικῆς. — Οἱ οἰκήτορες Τετραπολιεῖς καὶ Τετραπολῖται, ὡς Φαβωρῖνος ἐν πρώτῳ Παντοδαπῆς ὕλης ἱστορικῆς.

Ad Τετράπολιν pertinuerunt Oenoë, Probalinthus, Tricorynthus s. Tricorythus, Marathon, ut testatur praeter Stephanum Strabo IX p. 383. Cf. Leake, die Demen von Attika p. 65. In Favorini fragmento, quod Muellerum fugit, Meinekii conjecturam Τετραπολιεῖς pro Τετραπολεῖς recipere non dubitavi: ea enim de causa Favorinus laudatur. Ipse Stephanus v. Ἀκρόπολις: ὁ πολίτης Ἀκροπολίτης. δύναται καὶ Ἀκροπολιεύς, ὡς Τετραπολιεύς. Sic Jupiter Πολιεὺς est apud Aristot. De mundo VII. Cf. Stephanus v. Πόλιον et Πόλις.

E libro II.

21. Diog. Laërt. III. 1. 57. Εἰσὶ τοίνυν, φησὶ (Θρασύλος), οἱ πάντες αὐτῷ (Πλάτωνι) γνήσιοι διάλογοι ἓξ καὶ πεντήκοντα, τῆς μὲν Πολιτείας εἰς δέκα διαιρουμένης — ἣν καὶ εὑρίσκεσθαι σχεδὸν ὅλην παρὰ Πρωταγόρᾳ ἐν τοῖς Ἀντιλογικοῖς φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῆς ἱστορίας δευτέρῳ — τῶν δὲ Νόμων εἰς δυοκαίδεκα.

Ex hoc dialogorum, qui genuini perhibentur, numero recentiores critici haud paucos exemerunt; quod de industria multisque persequi ab hoc loco alienum est. Vid. potius Hermannus l. l. p. 413 sqq. Ceterum Ἀντιλογίαι fuerunt in oratoriis

Protagorae libris, non in politicis; recteque judicare Geelius videtur, ubi ait: Hic (Diogenes) III. 37. teste Aristoxeno et § 57 teste Phavorino, tradit Platonis *Rempublicam* totam fere e Protagorae *Antilogiis* desumtam esse; sed jam haec testium varietas arguit, eos Diogenem memoriter citavisse, idque ipsius testimonii auctoritatem labefactat. Credere quidem praestat, libros περὶ πολιτείας et περὶ τῆς ἐν ἀρχῇ καταστάσεως tales fuisse, e quibus Plato proficere potuisset." Vid. Hist. crit. soph. p. 84. Ceterum in Platonis *Republica*, praeterquam in libro primo, nihil inest, quod argumentationis sophisticae vestigia prae se ferat cf. Hermann l. l. p. 694.

E libro VIII.

22. Diog. Laert. III. 1. 24, 25. Οὗτος (Πλάτων) πρῶτος ἐν ἐρωτήσει λόγον παρήνεγκεν, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν ὀγδόῃ Παντοδαπῆς ἱστορίας. καὶ πρῶτος τὸν κατὰ τὴν ἀνάλυσιν τῆς ζητήσεως τρόπον εἰσηγήσατο Λεωδάμαντι τῷ Θασίῳ. καὶ πρῶτος ἐν φιλοσοφίᾳ ἀντίποδας ὠνόμασε, καὶ στοιχεῖον, καὶ διαλεκτικήν, καὶ ποιότητα, καὶ τοῦ ἀριθμοῦ τὸν προμήκη, καὶ τῶν περάτων τὴν ἐπίπεδον ἐπιφάνειαν, καὶ θεοῦ πρόνοιαν. καὶ πρῶτος τῶν φιλοσόφων ἀντεῖπε πρὸς τὸν λόγον τοῦ Λυσίου τοῦ Κεφάλου, ἐκθέμενος αὐτὸν κατὰ λέξιν ἐν τῷ Φαίδρῳ. καὶ πρῶτος ἐθεώρησε τῆς γραμματικῆς τὴν δύναμιν, πρῶτός τε ἀντειρηκὼς σχεδὸν ἅπασι τοῖς πρὸ αὐτοῦ, ζητεῖται διὰ τί μὴ ἐμνημόνευσε Δημοκρίτου.

Ἐρώτησις syllogismus est, quem Latini dicunt *interrogationem dialecticam*. Vide Quintil. I. O. IX. 2. 8, quaeque collegit Cresollius Theatr. II. 5. 6. 7. Jure igitur ac merito Wyttenbachius reddidit Favorino apud Stobaeum CXIX. 16, (Fragm. LXXI) ἠρώτα pro ἑώρα. De analytica methodo per Platonem Leodamanti cognita, idem scribit Proclus ad Euclid. II p. 58. Cf. etiam Menagius ad Diog. l. l. Quae porro Plato nova induxerit vel fecerit ea in disceptationem vocare non puto hujus esse loci.

23. Diog. Laert. VIII. 1. 12. Λέγεται καὶ πρῶτος (Πυ-

θαγόρας) κρέασιν ἀσκῆσαι ἀθλητάς, καὶ πρῶτόν γ' Εὐρυμένην, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν τρίτῳ τῶν Ἀπομνημονευμάτων, τῶν πρότερον ἰσχάσι ξηραῖς καὶ τυροῖς ὑγροῖς, ἀλλὰ καὶ πυροῖς σωμασκούντων αὐτούς, καθάπερ ὁ αὐτὸς Φαβωρῖνος ἐν ὀγδόῃ Παντοδαπῆς ἱστορίας φησίν.

Alii ad Pythagoram *exercitatorem* retulere, ut deinde narrat Diogenes V. 25, et Plinius H. N. XXIII. 7. Cum fragmento Favorini apprime convenit paulo amplior Porphyrii narratio Vit. Pyth. 15.

24. Diog. Laert. VIII. 1. 47, 48. *Ἐρατοσθένης φησί, καθὸ καὶ Φαβωρῖνος ἐν τῇ ὀγδόῃ Παντοδαπῆς ἱστορίας παρατίθεται, τοῦτον (Πυθαγόραν) εἶναι τὸν πρῶτον ἐντέχνως πυκτεύσαντα, ἐπὶ τῆς ὀγδόης καὶ τετταρακοστῆς Ὀλυμπιάδος, κομήτην καὶ ἀλουργίδα φοροῦντα· ἐκκριθέντα τ' ἐκ τῶν παίδων καὶ χλευασθέντα αὐτίκα προσβῆναι τοὺς ἄνδρας καὶ νικῆσαι. δηλοῦν δὲ τοῦτο καὶ τοὐπίγραμμα, ὅπερ ἐποίησε Θεαίτητος·*

Πυθαγόρην τινά, Πυθαγόρην, ὦ ξεῖνε, κομήτην,
ᾀδόμενον πύκτην εἰ κατέχεις Σάμιον,
Πυθαγόρης ἐγώ εἰμι· τὰ δ' ἔργα μου εἴ τιν' ἔροιο
Ἠλείων, φήσεις αὐτὸν ἄπιστα λέγειν.

Hinc natum proverbium *Ἐν Σάμῳ κομήτης* (Diogen. Prov. IV. 58) quod utrum ad philosophum Pythagoram an ad pugilem pertineat, multi dubitarunt; qua de re cf. Leutschius. Mihi docta sua et acuta annotatione probavit Bernhardy, Eratosthenis vel Favorini fragmentum ita ad philosophum spectare ut ad hujus aetatem constituendam maximi sit momenti. Sed male accepta est dictio *ἐπὶ Ὀλυμπιάδος* de anno victoriae. „Quis tandem, ait Bernhardy, eum in sensum *ἐπὶ Ὀλυμπιάδος* usurpavit? Immo Eratosthenes quum ad duodequinquagesimam perventum esset Olympiadem, victoriam Pythagorae Olympiacam attulerat, non sane de nihilo, sed quo natalem ejus diem sive colligeret sive confirmaret. Jam vero illa Olympias, si

consimiles auctorum rationes comparentur, ea ipsa secundum Eratosthenem fuerit, qua lucem Samius adspexit." De reliquis cff. ejusdem Eratosth. p. 253 sqq. Ceterum in Epigrammate κατέχειν τινὰ insolentius dictum est pro vulgari εἰδέναι τινὰ, quamquam κατέχειν τι *intelligendi* significatione Atticum est et legitur v. c. apud Platonem Men. p. 72 D et Phileb. p. 26 C.

---

25. Diog. Laert. II. 1. 1. *Εὗρεν* (*Ἀναξίμανδρος*) *καὶ γνώμονα πρῶτος καὶ ἔστησεν ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, τροπάς τε καὶ ἰσημερίας σημαίνοντα, καὶ ὡροσκόπια κατεσκεύασε.*

Plurima, quae ad rem egregie faciunt, contulit ad h. l. Menagius. Equidem satis duco afferre locum Plinianum, qui est H. N. II. 76, ubi Anaximeni inventori tribnuntur, quae Anaximandro deberi Favorinus narrat. „Umbrarum hanc rationem et quam vocant gnomonicen invenit Anaximenes Milesius, Anaximandri de quo diximus discipulus, primusque horologium quod appellant sciothericon Lacedaemone ostendit." Pintianum, corrigentem *invenit Mil. Anaximander de quo diximus primusque*, impugnavit Salmasius Exercitt. Plin. p. 445. b. F.

26. Diog. Laert. II. 3. 11. *Δοκεῖ πρῶτος* (*Ἀναξαγόρας*), *καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἀποφήνασθαι εἶναι περὶ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης· ἐπὶ πλέον δὲ προστῆναι τοῦ λόγου Μητρόδωρον τὸν Λαμψακηνὸν, γνώριμον ὄντα αὐτοῦ, ὃν καὶ πρῶτον σπουδάσαι τοῦ ποιητοῦ περὶ τὴν φυσικὴν πραγματείαν.*

Metrodori Lampsaceni Περὶ Ὁμήρου διανοιῶν memor est Plato Ion. p. 530 D. Plura suppeditat Tatianus, cujus locum affert Menagius. Verba autem attendenti vix cuiquam sanum videbitur istud ἐπὶ πλέον προστῆναι. Pro hoc legendum propono προβῆναι, *ulterius processisse.*

27. Diog. Laert. II. 5. 20. Ἀριστοφάνης αὐτὸν (Σωκράτην) κωμῳδεῖ ὡς τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦντα· καὶ γὰρ πρῶτος, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, μετὰ τοῦ μαθητοῦ Αἰσχίνου ῥητορεύειν ἐδίδαξε. — καὶ πρῶτος περὶ βίου διελέχθη καὶ πρῶτος φιλοσόφων καταδικασθεὶς ἐτελεύτα.

Notissimus est qui respicitur Aristophanis locus Nubb. 113 sqq.; notissimum etiam quod scripsit Cicero Tusc. Disp. V. 4. 10: „Socrates primus philosophiam devocavit e caelo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere," ne alia similia afferam. Cf. Kühner ad l. l. Minus recte Socrates primus ῥητορεύειν docuisse dicitur (vid. Westerm. Gesch. d. Bereds. I. p. 34), quod idem Idomeneus tradidit; nisi rhetoricam intelligas mirabilem illam dicendi artem, quam declarat in Memorabilibus Xenophon, et diserte memorat I, 2, 14 sq.

28. Diog. Laert. II. 5. 38. Οὐ φέρων τὸν ὑπὸ Σωκράτους χλευασμὸν (Ἄνυτος), πρῶτον μὲν ἐπήλειψεν αὐτῷ τοὺς περὶ Ἀριστοφάνην, ἔπειτα καὶ Μέλητον συνέπεισεν ἀπενέγκασθαι κατ' αὐτοῦ γραφὴν ἀσεβείας καὶ τῶν νέων διαφθορᾶς. ἀπηνέγκατο μὲν οὖν τὴν γραφὴν ὁ Μέλητος, εἶπε δὲ τὴν δίκην Πολύευκτος, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ.

Cf. Fragm. IV, ubi de Polycratis oratione paucis absolvi. De Meleto et Anyto Socratis accusatoribus silere praestat, quam quae a Luzacio aliisque egregie animadversa sunt repetere. Polyeuctum illum a Sphettio Polyeucto, in oratoribus Atticis claro, distinguendum esse dudum monuit, notato Menagii errore, Ruhnkenius Hist. critic. oratt. p. LXXXV.

29. Diog. Laert. III. 1. 3. Ἐγεννήθη (Πλάτων) κατά τινας ἐν Αἰγίνῃ ἐν τῇ Φειδιάδου οἰκίᾳ τοῦ Θάλητος, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, τοῦ πατρὸς

αὐτοῦ μετὰ καὶ ἄλλων πεμφθέντος κληρούχου, καὶ ἐπανελθόντος εἰς Ἀθήνας, ὁπόθ' ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἐξεβλήθησαν βοηθούντων Αἰγινήταις.

Quod de Platone Aeginae nato Favorinus memoriae prodidit, id a nullo confirmatur nisi a scriptore vitae ejus, quae legitur in Βιογρ. Westerm. p. 390, 63: Γέγονεν ἐν τῇ Αἰγίνῃ, τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Ἀρίστωνος μετὰ καὶ ἄλλων κληρούχου πεμφθέντος. Quum vero alium locum natalem Platoni nemo assignaverit (nam quod Ἀθηναῖος vocatur, id urgendum non est) et Favorini testimonium optime conveniat cum chronologia, de fide hujus narrationis non dubitare debebat Astius l. l. p. 15 sq.

30. Diog. Laert. III. 1. 19. *Παρέδωκε (Διονύσιος ὁ τύραννος) αὐτὸν (Πλάτωνα) Πόλλιδι τῷ Λακεδαιμονίῳ κατὰ καιρὸν διὰ πρεσβείαν ἀφιγμένῳ, ὥστε ἀποδόσθαι. κἀκεῖνος ἀγαγὼν αὐτὸν εἰς Αἴγιναν ἐπίπρασκεν, ὅτε καὶ Χάρμανδρος Χαρμανδρίδου ἐγράψατο αὐτῷ δίκην θανάτου κατὰ τὸν παρ' αὐτοῖς τεθέντα νόμον, τὸν πρῶτον ἐπιβάντα Ἀθηναίων τῇ νήσῳ ἄκριτον ἀποθνήσκειν. ἦν δ' αὐτὸς ὁ θεὶς τὸν νόμον, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ. εἰπόντος δέ τινος, ἀλλὰ κατὰ παιδιάν, φιλόσοφον εἶναι τὸν ἐπιβάντα, ἀπέλυσαν.*

Historia de Platone, quem Pollidi Dionysius vendendum tradiderit, a multis narratur, quorum sufficiat laudasse Plutarchum Vit. Dion. V, ubi etiam legimus: Λέγεται Πόλλις εἰς Αἴγιναν φέρων ἀποδόσθαι Πλάτωνα, πολέμου πρὸς Ἀθηναίους ὄντος αὐτοῖς, καὶ ψηφίσματος, ὅπως ὁ ληφθεὶς τῶν Ἀθηναίων ἐν Αἰγίνῃ πιπράσκηται. Plures locos sciscitanti indicabit Menagius. Cf. Astius p. 26 sq. Quo autem modo Pollidis hoc factum vindicaverit τὸ δαιμόνιον, Favorinus Fragm. V verbo explicuit.

31. Diog. Laert. IV. 7. 54. *Ἐμπεσὼν εἰς νόσον (Βίων), ὡς ἔφασκον οἱ ἐν Χαλκίδι — αὐτόθι γὰρ καὶ κατέστρεψε —*

περίαπτα λαβεῖν ἐπείσθη καὶ μεταγινώσκειν ἐφ' οἷς ἐπλημμέλησεν εἰς τὸ θεῖον. ἀπορίᾳ δὲ καὶ τῶν νοσοκομούντων δεινῶς διετίθετο, ἕως Ἀντίγονος αὐτῷ δύο θεράποντας ἀπέστειλε, καὶ ἠκολούθει γε αὐτῷ ἐν φορείῳ, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ.

Indicari Antigonum Gonatam satis apertum est, si quae l. l. 47 Diogenes memorat comparamus cum narratione, quae legitur VII. 1. 9. Gonatas autem quum annos vixerit 80 (Lucian. Macrob. XI), recte profecto a ceteris Antigonis distingui γέροντος cognomine potest. Atque eo verior mihi esse videtur Casauboni conjectura, e Favorini fragmento *Bionis* nomen restituentis in loco Plutarchi, qui est De vitios. pud. VII: Ἀντίγονος ὁ γέρων ὑπὸ Βίαντος ἐνοχληθεὶς πολλάκις, „Δότε, εἶπε, Βίαντι τάλαντον, καὶ ἀνάγκῃ." — Περίαπτα sunt quae Latine dicuntur *amuleta*, a mulierculis et superstitiosis in gravioribus morbis collo imprimis gestari solita. Sic Pericles, auctore Theophrasto ap. Plutarch. in Vit. XXXVIII, νοσῶν ἐπισκοπουμένῳ τινὶ τῶν φίλων ἔδειξε περίαπτον ὑπὸ γυναικῶν τῷ τραχήλῳ περιηρτημένον, ὡς σφόδρα κακῶς ἔχων. Habebantur autem γοητευτικὰ et conjunguntur interdum cum ἐπῳδαῖς. Vid. Sintenis ad Plutarchi l. l. p. 260, qui tamen immemor fuit loci Platonis, qui legitur De rep. IV p. 426 A. B, ubi cf. Stallbaum. Ceterum particula καὶ ante τῶν νοσοκομούντων aut supervacanea aut indicio est nomen aliquod excidisse. Pro ἠκολούθει γε αὐτῷ nescio an legendum sit ἠκολούθει γ' αὐτός.

32. Diog. Laert. IV. 9. 63, 64. Οὗτος (Καρνεάδης) Μέντορος τοῦ Βιθυνοῦ μαθητοῦ ὄντος καὶ παρ' αὐτὸν ἐλθόντος εἰς τὴν διατριβήν, ὡς ἐπείρα αὐτοῦ τὴν παλλακὴν ὁ Μέντωρ, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, μεταξὺ λέγων παρῴδησεν εἰς αὐτόν·

Πωλεῖταί τις δεῦρο γέρων ἅλιος νημέρτης,
Μέντορι εἰδόμενος ἠμὲν δέμας ἠδὲ καὶ αὐδήν·
Τοῦτον σχολῆς τῆσδ' ἐκκεκηρῦχθαι λέγω.

καὶ ὃς ἀνασττὰς ἔφη·

Οἱ μὲν ἐκήρυσσον, τοὶ δ' ἠγείροντο μάλ' ὦκα.

Duo priores versus sunt ex Od. IV. 384 et Il. 268, quartus Il. II. 52. Tertius versus fluxit ex Soph. Antig. 202. Παλλακῇ isti Melissam nomen fuisse novimus e Val. Max. VIII. 7. Ext. 5. Ad eandem historiam pertinet fragmentum Numenii ap. Euseb. Praep. Ev. XIV p. 738 D.

33. Diog. Laert. V. 1. 5, 6. *Ὁ Ἀριστοτέλης, ἐλθὼν εἰς τὰς Ἀθήνας καὶ τρία πρὸς τοῖς δέκα τῆς σχολῆς ἀφηγησάμενος ἔτη, ὑπεξῆλθεν εἰς Χαλκίδα, Εὐρυμέδοντος αὐτὸν τοῦ ἱεροφάντου δίκην ἀσεβείας γραψαμένου, ἢ Δημοφίλου, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, ἐπειδήπερ τὸν ὕμνον ἐποίησεν εἰς Ἑρμείαν, ἀλλὰ καὶ ἐπίγραμμα ἐπὶ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἀνδριάντος τοιοῦτον·*

Τόνδε ποτ' οὐχ ὁσίως παραβὰς μακάρων θέμιν ἁγνὴν
ἔκτεινεν Περσῶν τοξοφόρων βασιλεύς,
οὐ φανερῶς λόγχῃ φονίοις ἐν ἀγῶσι κρατήσας,
ἀλλ' ἀνδρὸς πίστει χρησάμενος δολίου.

Subornavit Eurymedon Demophilum, virum generosum, quo major pararetur accusatori reverentia (αἰδὼς), ut ait Athenaeus XV p. 696 B. Hoc ipsum Favorinus tradidisse videtur, sed obscuravit nimia Diogenis brevitas. Ceterum quae ad δίκην Aristotelis pertinent diligenter exposuit Stahr Arist. I. p. 143 sqq. (cf. Brandis III. p. 60), qui de intima inter Aristotelem et Hermiam amicitia, cui mortuo ille Delphis monumentum posuit, agit ibidem p. 75 sqq. — Hermiae necem tradit Strabo XIII. 1. p. 610.

34. Diog. Laert. V. 1. 9. *Τοῦτον (Ἀριστοτέλην) πρῶτον Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ λόγον δικανικὸν ὑπὲρ ἑαυτοῦ συγγράψαι φησὶν ἐπ' αὐτῇ ταύτῃ τῇ δίκῃ, καὶ λέγειν ὡς Ἀθήνησιν*

Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Fragmentum ex Ἀπολογίᾳ Aristotelis, εἰ μὴ κατέψευσται ὁ λόγος, affert Athenaeus l. l. p. 697. A. Qui versum Homericum non duobus hemistychiis constare, ex Od. VII 120 sq. conflatis, sed integrum esse putant, mihi videntur recte judicare. Explicatur ab Eustathio, quem vide, collatis observationibus Menagii atque imprimis quae disputat Stahrius p. 148.

35. Diog. Laert. V. 5. 77. Ἐπιβουλευθεὶς ὑπό τινων (Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς) δίκην θανάτου οὐ παρὼν ὦφλεν. Οὐ μὴν ἐκυρίευσαν τοῦ σώματος αὐτοῦ, ἀλλὰ τὸν ἰὸν ἀπήρυγον εἰς τὸν χαλκὸν, κατασπάσαντες αὐτοῦ τὰς εἰκόνας, καὶ τὰς μὲν ἀποδόμενοι, τὰς δὲ βυθίσαντες, τὰς δὲ κατακόψαντες εἰς ἀμίδας· λέγεται γὰρ καὶ τοῦτο. μία δὲ μόνη σώζεται ἐν ἀκροπόλει. Φαβωρῖνος δέ φησιν ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, τοῦτο ποιῆσαι τοὺς Ἀθηναίους Δημητρίου κελεύσαντος τοῦ βασιλέως. ἀλλὰ καὶ τῷ ἔτει τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐπέγραψαν ἀνομίας, ὡς Φαβωρῖνος.

Satis benigne de Phalereo Demetrio Poliorcetam sensisse, patet etiam e testimonio Plutarcheo, quod legitur Vit. Dem. IX: Τοῦ δὲ Φαληρέως διὰ τὴν μεταβολὴν τῆς πολιτείας μᾶλλον τοὺς πολίτας ἢ τοὺς πολεμίους δεδοικότος, οὐκ ἠμέλησεν ὁ Δημήτριος, ἀλλὰ καὶ τὴν δόξαν αἰδεσθεὶς καὶ τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρὸς εἰς Θήβας αὐτὸν, ὥσπερ ἐβούλετο, μετὰ ἀσφαλείας συνεξέπεμψεν. Quae autem apud Diogenem proxime praecedunt de ipsa statuarum eversione, ea Favorini non esse, facile sibi persuadebit, qui attentius legerit et cum sequentibus comparaverit; sed in his quoque nimia brevitate obscurior est Diogenes. Denique in postrema fragmenti parte dubito an sana sit lectio ἀνομίας. Scribendum videtur ἀνομίαν.

36. Diog. Laert. VI. 2. 25. Καί ποτε Πλάτωνα ἐν δείπνῳ πολυτελεῖ κατανοήσας (Διογένης) ἐλάας ἀψάμενον, „Τί, φησὶν, ὁ σοφὸς εἰς Σικελίαν πλεύσας τῶν τραπεζῶν τούτων χάριν νῦν παρακειμένων οὐκ ἀπολαύεις;" Καὶ ὅς, „Ἀλλὰ νὴ τοὺς θεοὺς, φησὶ, Διόγενες, κἀκεῖ τὰ πολλὰ

πρὸς ἐλάας καὶ τὰ τοιαῦτα ἐγινόμην." Ὁ δέ· „Τί οὖν ἔδει πλεῖν εἰς Συρακούσας; ἢ τότε ἡ Ἀττικὴ οὐκ ἔφερεν ἐλάας;" Φαβωρῖνος δέ φησιν ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ Ἀρίστιππον εἰπεῖν τοῦτο.

Etsi uter dixerit parum refert, ipsa tamen dicti mordacitas magis Diogenem auctorem arguit quam Aristippum.

37. Diog. Laert. VI. 2. 73. *Δῆλον (Διογένης) ἐν τῷ Θυέστῃ ποιεῖ, εἴ γ' αὐτοῦ αἱ τραγῳδίαι καὶ μὴ Φιλίσκου τοῦ Αἰγινήτου, ἐκείνου γνωρίμου, ἢ Πασιφῶντος τοῦ Λουσιάτου, ὅν φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ μετὰ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ συγγράψαι.*

Philisco *Thyesten* adjudicavit Satyrus (Diog. l. l. 80), cui assentitur Julianus Orat. VI p. 186 et VII p. 210. Sosicrates nullam esse dixit Diogenis tragoediam. Agit de Thyeste ejusque auctore Kayserus Hist. crit. trag. p. 257 sqq., qui victoriae palmam Diogeni decernit. Cujus quidem rei arbitrium libenter ei relinquo. At haud ita contemnendus et misellus est grammaticus Favorinus, qualem Kayserus vult videri, qui: „Si argumenta, inquit, ex historiae scenicae fontibus petere, quam sola assequi conjectura maluisset, (crederes fere Kayserum integra *Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ* usum esse) nequaquam intelligerem, quomodo Phavorinus potuisset de Pasiphonte cogitare. — Sed quanti judicium Phavorini habendum est? De Pasiphonte nihil nisi ex Diogenis loco comperimus. At grammatico defuit haud dubie copia doctrinae, quam ne Satyro quidem adhibere licuit." Operae me meae in Favorino collocatae poeniteret fere, si qua veritatis specie hoc Kayseri judicium commendaretur. Denique quod Pasiphonti Arcadiae oppidum Lusos patriam reddidi, in eo mihi videor recte obsecutus esse Roepero, qui *Λουσιάτου* restituit pro vulgato *Λουκιανοῦ*. Vid. Schneidew. Philol. a. 1848. I p. 61. Fortasse idem est qui Eretricus, commemoratus a Diog. Laert. II. 7. 61 et Plutarch. Vit. Nic. IV.

38. Diog. Laert. VIII. 1. 15. *Τῶν ἑξακοσίων οὐκ ἐλάτ-*

[illegible]

[illegible]

3. [illegible]

[illegible]

4. [illegible]

[illegible]

[illegible] 34, qu [illegible]

et Karstenius l. l. I. 2 p. 16. Ceterum mutavi interpunctionem, quae vulgo talis est: Φαβωρῖνος δέ φησι Παρμενίδην καὶ ἄλλους συχνούς. Quod nullum praebet sensum. Καὶ ἄλλους συχνούς, puta λόγους, copulatur cum praegresso Ἀχιλλέα λόγον. Dicit Diogenes Zenonem et argumentationem *Achillem* dictam et multas alias invenisse: de *Achille* interserit, Favorinum hanc Parmenidi tribuisse.

41. Diog. Laert. IX. 7. 34, 35. Φαβωρῖνός φησιν ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ λέγειν Δημόκριτον περὶ Ἀναξαγόρου, ὡς οὐκ εἴησαν αὐτοῦ αἱ δόξαι αἵ τε περὶ ἡλίου καὶ σελήνης, ἀλλ' ἀρχαῖαι, τὸν δ' ὑφῃρῆσθαι· διασύρειν τ' αὐτοῦ τὰ περὶ τῆς διακοσμήσεως καὶ τοῦ νοῦ, ἐχθρῶς ἔχοντα πρὸς αὐτὸν, ὅτι δὴ μὴ προσήκατο αὐτόν.

Fuere qui Democritum Anaxagorae auditorem facerent, qui illo major natu fuit 40 annis. Negavit id Diogenes jam quodammodo in superioribus II. 3. 14: Ἔδοξε δέ πως (Ἀναξαγόρας) καὶ Δημοκρίτῳ ἀπεχθῶς ἐσχηκέναι, ἀποτυχὼν τῆς πρὸς αὐτὸν κοινολογίας. Hoc autem loco fidem narrationis evertere studet testimonio Favorini.

42. Diog. Laert. IX. 8. 50. Διήκουσεν ὁ Πρωταγόρας Δημοκρίτου. ἐκαλεῖτό τε Σοφία, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ.

Satis probavit Menagius falsa esse quae h. l. traduntur, quum Σοφία Democritus dictus sit, Λόγος Protagoras. Dubito tamen an hinc sequatur, verba ἐκαλεῖτό τε Σοφία a sciolo addita esse ad nomen Δημοκρίτου. Si Diogenes vel ipse Favorinus in culpa non est, accusandi fortasse librarii, quorum errore ista lectio invaluerit pro vera ὃς ἐκαλεῖτο Σοφία.

43. Jul. Valerius (Pseudo-Callisthenes) *de Reb. Alex.* I. 13. De ea (institutione Alexandri M.) si quid inquirere curiosius voles, sat tibi, lector, habeto *Graecum Favorini librum*, qui *Omnigenae historiae* super-

scribitur. Illic etiam generis Alexandri invenies seriem, cui generis principium praestitisse ferunt Oceanum et Thetidem, exinque fluxisse per Acrisium Danaënque atque Persea multosque alios in Perdiccae genera vel Philipporum. Nam ne Olympiadi quidem secus propago generosa est: cui diligentia pari a mundi principio per Saturnum atque Neptunum, tum etiam Telamona seriem generis attexuit, ad tertiumque Neoptolemum docet prosapiam defluxisse, cujus Anasafia mater Olympiadis cluit.

Vulgo legi non *Omnigenae*, sed *omni genere*, supra monui p. 76. *Danaënque* — mirabile dictu! — adhuc depravatum fuit in *Danaumque*. Si tanti esset ejusmodi scriptorem, qualis est Julius Valerius, emendare, pro *cui generis* legi mallem *cui generi*. Aliud est, ubi verba pessime scripta rem obscurant vel pervertunt. Hoc factum in postremis, quae in editione Muelleri sic leguntur: „cujus [*uxor*] Anasafia (*sic*) mater Olympiadis cluit." Quodsi nomen uxoris Neoptolemi aliunde cognitum, cur *Anasafia* istud intactum reliquerunt? Sin ignoratur, quod puto, quo jure *uxor* in textum receperunt? Qua autem de causa h. l. de *uxore* Neoptolemi, cur maxime de *matre* Olympiadis mentio fiat? Denique, constat Neoptolemo filiam fuisse Olympiadem, Alexandri M. matrem. Vid. Pausan. I. 11. 1. Postulat igitur sententia loci — nam ipsa verba quis reddat? — ut legamus: „*qui avus Alexandri*, *pater* Olympiadis cluit." Ceterum de genere Alexandri Plutarchus in Vita II init.: *Ὅτι τῷ γένει πρὸς πατρὸς μὲν ἦν Ἡρακλείδης ἀπὸ Καράνου, πρὸς δὲ μητρὸς Αἰακίδης ἀπὸ Νεοπτολέμου, τῶν πάνυ πεπιστευμένων ἐστί.*

44. Etym. M. *Σητάνειοι πυροί.* — *Φαβωρῖνος Περὶ παντοδαπῆς ὕλης οὕτως· Τητάνειος σῖτος.*

Sequuntur haec: *δηλοῖ δὲ ἡ λέξις τὸν καθαρόν· καὶ σητανείους πυροὺς, τοὺς ἐπετείους. Ὧρος.* Ut *τὸ ἐπ' ἔτος* Ionibus *σῆτες* dictum est, Atticis *τῆτες*, ita illis *σητάνειον* vel *σητάνιον*, his *τητάνειον* vel *τητάνιον* vel *τητινὸν* fuit *τὸ ἐπέτειον ἤτοι*

τοῦ αὐτοῦ ἔτους. Docent affatim vetera lexica. Pro re nostra satis erit hunc attulisse Pollucis locum (VI. 73): *Οἱ τητάνιοι ἄρτοι ἐκ τῶν τητανίων πυρῶν, οἵ εἰσι τετράμηνοι· τητινὸν γὰρ τὸ ἐπέτειον*. Ad hanc sententiam recte scribitur in lexico Photiano p. 587, 4 v. *Τητινοὶ*, sed corrigendum, quod legitur ibidem p. 508, 4: *Σηγάνιοι πυροί. οἱ τῷ ἔαρι σπειρόμενοι τριμηναῖοι λέγονται*. Lege *Σητάνιοι* — *οἳ* — *τετραμηναῖοι*. Ut ad Favorinum veniam, hunc apertum est ideo testem citari, quod *τητάνειος*, non *σητάνειος* scripserit. Male igitur haec forma Atticis inusitata olim h. l. legebatur.

45. Steph. Byz. *Ἀλεξάνδρειαι, πόλεις ὀκτωκαίδεκα. — τὸ ἐθνικὸν Ἀλεξανδρεύς. — Δίδυμος παρατίθεται χρῆσιν ἐξ Ἐρατοσθένους τοῦ Κυρηναίου τὸ Ἀλεξανδρίτης. Φαβωρῖνος δὲ ἐν τῷ Περὶ παντοδαπῆς ὕλης Ἀλεξανδρειώτην φησί.*

Emendatae hujus lectionis rationes reddidi p. 79 sq.

46. Steph. Byz. *Ἄργιλος, πόλις Θρᾴκης, ὡς Θουκυδίδης ε´ καὶ Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπαῖς. „Ἄργιλος ἡ πρὸς τῷ Στρύμονι ποταμῷ πόλις· ὠνομάσθη δὲ, ἐπειδὴ ὑπὸ Θρᾳκῶν ὁ μῦς ἄργιλος καλεῖται, σκαπτόντων δὲ εἰς τὸ θεμελίους καταβαλέσθαι πρῶτος μῦς ὤφθη."*

Locus Thucydideus est V. 18, ubi tamen nihil nisi nomen legitur. Sed vide IV. 103. Cum Favorini fragmento satis convenit Heraclides Περὶ πολιτ. XLII: *Ἄργιλον τὸν μῦν καλοῦσι Θρᾷκες· οὗ ὀφθέντος πόλιν κατὰ χρησμὸν ἔκτισαν καὶ Ἄργιλον ὠνόμασαν*. Cf. ad h. l. Schneidew. p. 111.

47. Steph. Byz. *Αὐταριᾶται, ἔθνος Θεσπρωτικόν. Χάραξ ἐν ἑβδόμῃ Χρονικῶν καὶ Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπαῖς καὶ Ἐρατοσθένης.*

Illyrica haec gens est apud Strab. VII p. 313, coll. p. 316, et apud Arrian. Anab. I. 5.

48. Steph. Byz. *Χελιδόνιοι, ἔθνος Ἰλλυρικόν. — Εἰσὶ καὶ*

Χελιδονίαι πέτραι, ὧν ἡ μὲν Κορύδελα, ἡ δὲ Μελανίππεια, ὡς Φαβωρῖνος ἐν τοῖς Παντοδαποῖς.

Χελιδονίαι (Χελιδονιαὶ Herodianus ἐν τῇ καθόλου) τρεῖς νῆσοι numerantur a Dionys. Perieg. 506 sq., ubi cf. Eustath., et Strab. XIV p. 666.

49. Steph. Byz. Ὠκεανὸς, ὁ ποταμὸς ὁ περιέχων τὴν γῆν. Φαβωρῖνος ἐν ταῖς Παντοδαπαῖς ἱστορίαις. „Προσαγορεύουσι δὲ τὴν ἔξω θάλατταν ἐκεῖ μὲν οἱ πολλοὶ τῶν βαρβάρων Ὠκεανὸν, οἱ δὲ τὴν Ἀσίαν οἰκοῦντες μεγάλην θάλατταν, οἱ δ' Ἕλληνες Ἀτλαντικὸν πέλαγος."

Vidit Meinekius ad Favorinum referenda esse, quae leguntur v. Κασπία θάλασσα. Λέγεται καὶ Ὑρκανία ἡ Κασπία. τινὲς δὲ ταύτας διακρίνουσι. φασὶ δὲ τὴν ἔξω θάλασσαν οἱ πολλοὶ τῶν βαρβάρων ὠκεανὸν, οἱ δὲ τὴν Ἀσίαν οἰκοῦντες μεγάλην θάλατταν, οἱ δ' Ἕλληνες Ἀτλαντικὸν πέλαγος"...... Lacunam indicavit Berkelius. Ipsa tamen Favorini verba non reddi, arguit locus supra scriptus, in quo adeo voces ἐκεῖ μὲν frustra Meinekius tentavit. Nec Favorini sunt, quae a Stephano addita illi tribuit Muellerus: ἐκλήθη δ' οὕτως παρὰ τὸ ὠκέως νάειν, ὅ ἐστι ῥεῖν.

3.

Ἐπιτομὴ τῆς Παμφίλης (?).

50. Steph. Byz. Ῥοπεῖς, ἔθνος, οὗ μέμνηται Φαβωρῖνος ἐν Ἐπιτομῇ δ' τῆς Παμφίλης.

Quid statuendum videatur de titulo Ἐπιτομὴ τῆς Παμφίλης, imo de toto opere, exposui p. 81 sqq. Ῥοπεῖς alibi non commemorantur.

INCERTAE SEDIS.

51. Diog. Laert. III. 1. 37. Τοῦτον (Ἀριστοτέλη) μόνον παραμεῖναι Πλάτωνι Φαβωρῖνός πού φησιν ἀναγινώσκοντι τὸν Περὶ ψυχῆς, τοὺς δ' ἄλλους ἀναστῆναι πάντας.

Platonis Phaedo quando sit conscriptus tam parum constat, ut in diversissimas sententias viri docti abierint. Cf. Stallbaumius Praef. p. 27 sq., qui ipse suspicatur „hunc dialogum a Platone post primum demum iter in Italiam et Siciliam susceptum literis exaratum esse", i. e. post Ol. 98. 1. Hoc quidem ratio et argumentum libri luculente probare videtur, non esse fetum ut ita dicam juvenilem, quemadmodum credidit Wyttenbachius (ad Phaed. p. 298), sed aetatis maturioris. Cf. Hermann. l. l. p. 399, 626, 684. Quodsi certa Favorino habenda fides, — cujus narratio sane non debebat ab aliis negligi, ab aliis prorsus contemni — Phaedo nonnisi post alterum iter Platonis, unde Ol. 103, 4 domum rediit, scriptus est, siquidem eo ipso tempore scholis illius Aristoteles coepit interesse, ut docet Stahrius Aristot. p. 44.

52. Diog. Laert. V. 2. 41. Φαβωρῖνός φησι γηράσαντα αὐτὸν (Θεόφραστον) ἐν φορείῳ περιφέρεσθαι, καὶ τοῦτο λέγειν Ἕρμιππον, παρατιθέμενον ἱστορεῖν Ἀρκεσίλαον τὸν Πιταναῖον ἐν οἷς ἔφασκε πρὸς Λακύδην τὸν Κυρηναῖον.

Diem obiit Theophrastus Ol. 123. 2, annos natus 85. Illud indicat Apollodorus apud Diog. Laert. V. 3. 58. Cff. Clinton p. 195 et quos laudat Lozynski Hermippi fragm. p. 3.

53. Diog. Laert. VIII. 1. 48. Τοῦτον (Πυθαγόραν) ὁ Φαβωρῖνός φησιν ὅροις χρήσασθαι διὰ τῆς μαθηματικῆς ὕλης, ἐπὶ πλέον δὲ Σωκράτην καὶ τοὺς ἐκείνῳ πλησιάσαντας, καὶ μετὰ ταῦτ' Ἀριστοτέλην καὶ τοὺς Στωϊκούς. ἀλλὰ μὴν καὶ τὸν οὐρανὸν πρῶτον ὀνομάσαι κόσμον καὶ τὴν γῆν στρογγύλην· ὡς δὲ Θεόφραστος, Παρμενίδην· ὡς δὲ Ζήνων, Ἡσίοδον.

Est ὅρος, Antipatro teste, quem laudat Diog. Laert. VII. 1. 6. atque ex hoc i. v. Suidas, λόγος κατὰ ἀνάλυσιν ἀπαρτιζόντως ἐκφερόμενος, teste Chrysippo, ἡ ἀπόδοσις. Quod autem coelum primus Pythagoras appellaverit κόσμον, terram globosam esse dixerit, illud plures cum Favorino testantur, in quibus scriptor Vitae Pythagorae apud Photium, et Galenus (cf. Menag.); hoc an recte Pythagorae tribuatur, dubitat Karstenius, quem vide I. 2 p. 254 sq.

54. Diog. Laert. IX. 11. 87. Τὸν ἔνατον (Πύρρωνος τρόπον) Φαβωρῖνος ὄγδοον, Σέξτος δὲ καὶ Αἰνεσίδημος δέκατον, ἀλλὰ καὶ τὸν δέκατον Σέξτος ὄγδοόν φησι, Φαβωρῖνος δὲ ἔνατον.

Qui reputaverit Favorinum decem libris de Πυρρωνείοις τρόποις scripsisse (p. 88 sq.), malit fortasse hunc locum non pro fragmento Favorini habere, sed pro testimonio Diogenis. Atque ita judicavit Muellerus. Nec repugno equidem. Hoc tamen velim attendatur, morem fuisse Favorino ut talia in Ἀπομνημονεύμασι et Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ commemoraret; quam in rem afferam tantum Fragm. XIV et XXI, ubi de γνησίοις et νοθευομένοις dialogis Platonis agitur. Scripsit idem Περὶ τῆς Ὁμήρου φιλοσοφίας (p. 86), et tamen in Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ Anaxagoram dixit primum demonstrasse, Homericam poesin esse de virtute ac justitia (Fragm. XXVI). Utcunque est, si fallar, aliena certe Favorino non tribuerim.

55. Steph. Byz. Αἰθίοψ. — πρῶτοι θεοὺς ἐτίμησαν καὶ νόμοις ἐχρήσαντο. ὀνομάζουσι δὲ τοὺς αἰτίους τούτων Μίθραν καὶ Φλεγύαν, ἄνδρας Αἰθίοπας τὸ γένος, ὡς Φαβωρῖνος.

De cultu Deorum apud Aethiopas paucis agit Herodotus II. 29, quem docte interpretatur Baehrius. Inde tamen non multum proficimus ad illustrandam narrationem Favorini. At plurimum huc facit Diod. Sic. III. 2, cujus haec tantum verba adscribam: Αἰθίοπας ἱστοροῦσι πρώτους ἀνθρώπων πάντων, γεγονέναι. — φασὶ δὲ παρ' αὐτοῖς πρώτοις καταδειχθῆναι θεοὺς τιμᾶν, καὶ θυσίας ἐπιτελεῖν καὶ πομπὰς καὶ πανηγύρεις, καὶ τἆλλα δι ὧν ἄνθρωποι τὸ θεῖον τιμῶσι. διὸ καὶ τὴν παρ' αὐτοῖς εὐσέβειαν διαβεβοῆσθαι παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις, καὶ δοκεῖν τὰς παρ' Αἰθίοψι θυσίας μάλιστ' εἶναι τῷ δαιμονίῳ κεχαρισμένας.

56. Steph. Byz. Ἀκτή. οὕτως ἡ Ἀττικὴ ἐκαλεῖτο ἀπὸ Ἀκταίου τινός. ἀνὴρ δὲ ἦν αὐτόχθων, ὡς Φαβωρῖνος, ὃς ἐβασίλευσεν ἐκεῖ καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ οὕτως τὴν χώραν ὠνόμασε καὶ τοὺς λάους.

Apollodorus, addit continuo Stephanus, τἀναντία φησίν. Cff.

Heynius Obss. ad Apollod. III. 14. 1 p. 321 et Eustath. ad Dionys. Perieg. 423.

57. Steph. Byz. Ἀραχωτοὶ, πόλις Ἰνδικῆς, ἀπὸ Ἀραχώτου ποταμοῦ, ῥέοντος ἀπὸ τοῦ Καυκάσου, ὡς Φαβωρῖνος καὶ Στράβων ἑνδεκάτῃ.

Strabonis locus est p. 513. Plura affert Ptolemaeus VI. 20. Ὠρείτας τ' Ἄραβάς τε λινοχλαίνους τ' Ἀραχώτας memorat Dionysius Perieg. 1096, ad quem locum cf. Eustath.

58. Steph. Byz. Βισαλτία, πόλις καὶ χώρα Μακεδονίας, ἀπὸ Βισάλτου τοῦ Ἡλίου καὶ Γῆς. περὶ ταύτην οἱ λαγοὶ σχεδὸν πάντες ἁλίσκονται δύο ἥπατα ἔχοντες, ὡς Θεόπομπος ἱστορεῖ καὶ Φαβωρῖνος.

Narravit Theopompus Historiarum XX, teste Athenaeo IX p. 401 B. Quinam praeterea idem tradiderint, docent Wichers Theopomp. Fragm. p. 206 et Lion ad Gellium XVI. 15.

59. Steph. Byz. Βόσπορος. — δύο εἰσὶ τόποι Βόσποροι καλούμενοι, εἷς μὲν ὁ Κιμμέριος καλούμενος, πλήσιον Χερσῶνος, ἐν ᾧ καὶ τὸ βασίλειον τῶν Βοσποριανῶν ἦν, ἕτερος δὲ ἐν Βυζαντίῳ, καθὰ Φαβωρῖνος γράφει· „Βυζαντίων λιμὴν Βόσπορος καλεῖται."

Verba Favorini in fragmentis a Muellero editis desiderantur. Leguntur autem apud Const. Porphyrog. de them. II. p. 30, quo loco supplevit Meinekius quae deerant in Stephani epitome v. Βόσπορος.

60. Steph. Byz. Κρεμμυὼν, κώμη Κορίνθου. — „ἐν ᾗ μυθεύουσι τὰ περὶ τὴν Κρεμμυωνίαν ὗν, ἣν μητέρα τοῦ Καλυδωνίου κάπρου φασὶ, καὶ τῶν Θησέως ἄθλων [ἕνα]." Φαβωρῖνος δὲ, ὅτι τοῦ Ἐρυμανθίου καὶ τοῦ Καλυδωνίου μήτηρ ἦν.

Priora deprompta sunt e Strab. VIII p. 380. Alibi Κρομμυὼν pagus appellatur, ut apud Pausan. I. 27. 9, ubi commemoratur ὗς περί τε Καλυδῶνα καὶ Ἐρύμανθον καὶ τῆς Κορινθίας ἐν Κρομμυῶνι. Cf. II. 1. 3; Plutarch. Vit. Thes. IX.

61. Steph. Byz. Σφακτήρια. — Ἔστι καὶ νῆσος Σφακτηρία, ἧς μνημονεύει Παυσανίας ἐν τρίτῳ Περιηγήσεως Ἑλλάδος. ἐκαλεῖτο καὶ Σφαγία, ὡς Φαβωρῖνος.

Pro τρίτῳ scribendum est τετάρτῳ, quum Sphacteriae insulae Pausanias memor sit IV. 36. 6. Cf. VI. 22. 6. Quod Favorinus dixit eandem vocari Sphagiam, haud uno veterum scriptorum exemplo probatur. Sic pugna navalis ad Pylum a Platone Menex. p. 242 C facta esse dicitur ἐν τῇ Σφαγίᾳ. Σφαγίαι est apud Xenoph. Hellen. VI. 2. 31. Vid. porro Stallbaum. ad Plat. l. l.

62. Gellius *N. A.* X. 12. Plerique nobilium Graecorum et *Favorinus* philosophus, memoriarum veterum exsequentissimus, affirmatissime scripserunt, simulacrum columbae e ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaque mechanica factum volasse. Ita erat scilicet libramentis suspensum et aura spiritus inclusa atque occulta concitum. Libet hercle super re tam abhorrenti a fide ipsius *Favorini* verba ponere: Ἀρχύτας Ταραντῖνος, φιλόσοφος ἅμα καὶ μηχανικὸς ὤν, ἐποίησε περιστερὰν ξυλίνην πετομένην· ἥτις εἴ ποτε καθίσειεν, οὐκέτι ἀνίστατο. μέχρι γὰρ τούτου....

Videntur editores verba μέχρι γὰρ τούτου pro clausula Gellii habuisse; equidem ad Favorinum ea refero, sed plura puto deesse, omissa fortasse a librario, cui Graeca sive non legerentur seu non admodum placerent. Quid enim? Ait Gellius malle se rem adeo incredibilem ipsis Favorini verbis narrare; sed vix inchoavit, quum repente orationem abrumpit, omisso rei capite, artificiosa avis structura. Ceterum de meritis Tarentini Archytae in mechanicam et disciplinas mathematicas vid. Diog. Laert. VIII. 4. 83. et Vitruv. IX. 3. Idem fuerit qui ἀρχιτέκτων dictus librum Περὶ μηχανῆς (μηχανικῆς?) scripsisse ferebatur, auctore Diogene l. l. 82, quo loco cf. Menagius.

63. Stobaeus *Serm.* LXII. 43. Ζάμολξις οἰκέτης ἦν Πυθαγόρου, καὶ προσεκύνησαν αὐτὸν οἱ τότε.

Modo Ζάμολξις vocatur, modo Ζάλμοξις. Hanc veram scripturam esse docet Porphyrius Vit. Pyth. 14 sq., qui locus omnino huc pertinet. Ἦν δ' αὐτοῦ καὶ ἕτερον μειράκιον, ὃ ἐκ Θρᾳκῆς ἐκτήσατο, ᾧ Ζάλμοξις ἦν ὄνομα, ἐπεὶ γεννηθέντι αὐτῷ δορὰ ἄρκτου ἐπεβλήθη· τὴν γὰρ δορὰν οἱ Θρᾷκες ζαλμὸν καλοῦσιν. Ἀγαπῶν δ' αὐτὸν ὁ Πυθαγόρας τὴν μετέωρον θεωρίαν ἐπαίδευσε, τά τε περὶ ἱερουργίας καὶ τὰς ἄλλας εἰς θεοὺς θρησκείας. — ὡς Ἡρακλέα δ' αὐτὸν προσκυνοῦσιν οἱ βάρβαροι. Διονυσοφάνης δὲ λέγει, δουλεῦσαι μὲν αὐτὸν τῷ Πυθαγόρᾳ κτἑ. Multi de Zalmoxide memoriae prodiderunt, ut Herod. IV. 93, Strabo VII p. 297, Diog. Laert. VIII. 1. 2; sed omnes recensere longum est. Vidd. Menagius in Observ. et Sturzius Hellan. fragm. p. 66 sq.

64. Plutarch. Quaestt. Rom. XXVIII. Διὰ τί τοὺς παῖδας, ὅταν ὀμνύωσι τὸν Ἡρακλέα, κωλύουσιν ὑπὸ στέγῃ τοῦτο ποιεῖν, καὶ κελεύουσιν εἰς ὕπαιθρον προιέναι; — ἢ ταῦτα μὲν λέγεται καὶ παίζεται πρὸς τοὺς παῖδας, ἄλλως δὲ ἐπίσχεσίς ἐστι τῆς πρὸς τὸν ὅρκον εὐχερείας καὶ ταχύτητος τὸ γινόμενον, ὡς Φαβωρῖνος ἔλεγε· τὸ γὰρ ὥσπερ ἐκ παρασκευῆς μέλλησιν ἐμποιεῖ καὶ βουλεύσασθαι δίδωσι.

Hunc locum recte an secus in fragmenta librorum historicorum receperim, nolim dirimere. Muellerus non recepit. In verbis vitium inesse suspicor. Quum enim praecedat ταῦτα μὲν λέγεται, in sequentibus pro ἄλλως δὲ — ἐστὶ legendum videtur ἀληθῶς δὲ — ἐστί.

III.

DISSERTATIONES SOPHISTICAE.

1. *Laudes Thersitae.*
2. *Laudes febris quartanae.*

65. Gellius XVII. 12. *Favorinus* oppido quam libens in (infames) materias dicebat, vel ingenio expergificando

ratus idoneas, vel exercendis argutiis, vel edomandis usu difficultatibus: sicuti cum *Thersitae laudes* quaesivit, et cum *febrim quartis diebus recurrentem* laudavit, lepida sane multa et non facilia inventu in utramque causam dixit, eaque scripta in libris reliquit. Sed in *febris laudibus* testem etiam Platonem produxit, quem scripsisse ait, qui quartanam passus convaluerit viresque integras recuperaverit, fidelius constantiusque postea valiturum. Atque inibi [in] iisdem laudibus non hercle hac sententiola invenuste lusit. Versus, inquit, est longo hominum aevo probatus:

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

Eo versu significatur, non omni die bene esse posse, sed isto bene atque alio male. Quod cum ita sit, inquit, ut in rebus humanis bene aut male, vice alterna sit: haec biduo medio intervallata febris quanto est fortunatior, in qua est μία μητρυιὰ, δύο μητέρες?

De Thersita notissimus est Homeri locus, qui legitur Il. II. 211 sqq. Infames materias sive ἀδόξους ὑποθέσεις tetigi supra p. 52 sq.

Dissertationum Ἐπὶ τῷ λήρῳ, Ὑπὲρ τῶν μονομάχων, Ὑπὲρ τῶν βαλανείων fragmenta nulla exstant. Quae adversum Chaldaeos seu genethliacos Favorinus disseruit, eorum capita quae a Gellio sunt notata, putavi testimoniis potius annumeranda esse de Favorino dictis, quam fragmentis ex ipsius oratione depromptis. Cf. p. 44 sqq.

7. Περὶ τῆς Σωκράτους ῥώμης (?).

66. Gellius II. 1. Stare solitus Socrates dicitur, pertinaci statu, perdius atque pernox a summo lucis ortu ad solem alterum orientem, inconnivens, immobilis, iisdem in vestigiis, et ore atque oculis eundem in locum

[illegible] quodam secessu mentis atque animi [illegible] rem cum *Favorinus*, [illegible] disserens, attigisset: [illegible] ἀστραβέστερος [illegible]

[illegible] Nubb. 412 sqq. [illegible] orientem." Legere [illegible]

[illegible]

[illegible] Φαβωρίνου Περὶ [illegible] καὶ Πλάτωνι [illegible] βίου εἶναι, [illegible]

[illegible] Φαβωρίνου Περὶ [illegible] ὁ δὲ [illegible] ἐπι- [illegible] ἀπεργάζεται, [illegible]

[illegible] 42 i, p. 441 [illegible], sed omisso [illegible] leguntur etiam [illegible] certioribus [illegible] τὰ ἡδέα, [illegible] credo. Est [illegible] Caton. [illegible], „vituperatio [illegible]"

[illegible] περὶ τῆς [illegible] ἔστω, [illegible], ἣν ἡδονὴν [illegible] ἐκ τῶν [illegible]. Ἀμ- [illegible]

μνήσκεσθαι, καὶ καθάπερ κτήμασι τέρπεσθαι, λογιζόμενον, ὅτι ἡ τύχη, ἡ πάντων κυρία τούτων, ταῦτα ἄκυρός ἐστιν ἀφελέσθαι.

Haec quoque receperunt Apostolius et Arsenius, alter III. 29 d, p. 293, alter IV. p. 48. De ἡδονῇ cf. Plato de Rep. IX p. 580 D sqq., qui conjungit haec tria vocabula ἡδονὴν, χάριν, τέρψιν, Phileb. p. 19 C.

70. Stob. CXV. 24. (Τοῦ αὐτοῦ.) Ὁ Βοιώτιος *ἐντυχὼν θησαυρῷ μετὰ ἑβδομήκοντα ἔτη, ἐπάρας τὸ σκέλος ἀπεματάϊσε καὶ παρῆλθεν, ὡς οὐκέτι οὐδὲν ὄντα πρὸς αὐτόν. Ὥστε καὶ πολυχρηματίας ἅμα παύει τὸ γῆρας καὶ πολυπραγμοσύνης.*

Male apud S. Maximum, qui haec ex Stobaeo descripta affert Serm. XII. p. 571 ed. Combef., pro ὁ Βοιώτιος legitur Βοιωτός. Illud certe Lacedaemoniis nomen fuisse constat ex Xenoph. Hellen. I. 4. 2.

71. Stob. CXIX. 16. (Ἐκ τῶν Φαβωρίνου Περὶ γήρως.) *Θεόδωρος μὲν γὰρ ὁ Κυρηναῖος οὐδεμίαν ἱκανὴν πρόφασιν ἔφασκεν εἶναι τῷ σοφῷ πρὸς τὴν τοῦ βίου κατάλυσιν. Καὶ τό τε ἀκόλουθον οὕτως ἠρώτα· τὸ γὰρ καταφρονοῦντα τῶν ἀνθρωπείων συμπτωμάτων ἀπωστὸν ὑπ' αὐτῶν ἐκ τοῦ βίου γίγνεσθαι, πῶς οὐχ ὑπεναντίον τῷ μόνον μὲν τὸ καλὸν ἀγαθὸν, μόνον δὲ αἰσχρὸν τὸ κακὸν εἰρηκότι;*

Κυρηναῖος, non Κυθηραῖος, ἠρώτα, non ἑώρα scribenda esse monuit Wyttenbachius ad Phaedon. p. 189. Cf. annot. ad Fragm. XXII. De Theodoro autem Cyrenaeo, quem a Platone auditum narrant, imprimis vid. Groen van Prinsterer Prosopogr. Plat. p. 190 sq.

9. Κατὰ γήρως.

72. Stob. CXVI. 44. (Φαβωρίνου ἐκ τῶν Κ[ατὰ] γ[ήρως]). *Πολύς τοι μόχθος ἐν μακρῷ χρόνῳ.*

Cff. quae dicta sunt p. 85.

10. Περὶ εὐχῆς.

73. Phrynich. p. 244. Διδοῦσιν· ἐν τῷ Περὶ Εὐχῆς Φαβωρῖνος οὕτω λέγει, δέον διδόασι. τὸ γὰρ διδοῦσιν ἄλλο τι σημαίνει, τὸ δεῖν.

Egregie, ut solet, hunc locum illustravit Lobeckius, qui tamen verba Epicuri, quae quamvis dubitanter ex Diogene Laert. X. 131 attulit, jam pro usu formae διδοῦσιν haud amplius afferet. Reddidit enim Cobetus Epicuro ἀποδίδωσιν pro ἀποδιδοῦσιν.

11. Περὶ ἰδεῶν.

74. Phrynich. p. 248. Σύμπτωμα πολλάκις εὗρον κείμενον παρὰ Φαβωρίνῳ ἐν τῷ Περὶ Ἰδεῶν λόγῳ. Πόθεν δὲ λαβὼν ἔθηκεν, οὐκ οἶδα. Χρὴ οὖν συντυχίαν λέγειν, ἢ λύσαντας οὕτω, συνέπεσεν αὐτῷ τόδε γενέσθαι. Δημοσθένης μέντοι ἐν τῷ κατὰ Διονυσοδώρου ἅπαξ εἴρηκε τοὔνομα.

Usum vocabuli σύμπτωμα bonis scriptoribus non admodum quidem frequentem fuisse, sed multo tamen frequentiorem quam putavit Phrynichus, exempla probant quae praeter laudatum Demosthenis locum (p. 1295) ex Thucydide et Aristotele Lobeckius indicavit. Occurrit vocabulum Fragm. LXXI.

12. Περὶ τῆς δημώδους σωφροσύνης.

75. Phrynich. p. 260. Πλόκιον ἐπὶ ὑποθέσεως πεπλεγμένης οἱ εἰκαῖοι τιθέασιν. θαυμάζω οὖν, πῶς ὁ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων δόξας εἶναι Φαβωρῖνος ἐχρῆτο ἐν συγγράμματι ἐπιγραφομένῳ Περὶ τῆς δημώδους σωφροσύνης.

Vulgo legi Δημάδους pro δημώδους, quod etiam Pauwio arrisit, monui supra p. 86.

Ceterum ex uno Suida constare de dissertationibus, quas Περὶ τῆς Ὁμήρου φιλοσοφίας, Περὶ Σωκράτους καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ἐρωτικῆς τέχνης, Περὶ Πλάτωνος et Περὶ τῆς διαίτης τῶν φιλοσόφων Favorinus scripserit, dictum est p. 88.

IV.

OPERA PHILOSOPHA.

1. Πυρρωνείων τρόπων λόγοι ι'.

76. Philostr. vit. Soph. p. 491 (13, 10). Τὸν Ἐπὶ τῷ λήρῳ καὶ τὸν Ὑπὲρ τῶν μονομάχων καὶ τὸν Ὑπὲρ τῶν βαλανείων γνησίους τε ἀποφαινόμεθα καὶ εὖ ξυγκειμένους, καὶ πολλῷ μᾶλλον τοὺς φιλοσοφουμένους αὐτῷ (Φαβωρίνῳ) τῶν λόγων, ὧν ἄριστοι οἱ Πυρρώνειοι. τοὺς γὰρ Πυρρωνείους ἐφεκτικοὺς ὄντας οὐκ ἀφαιρεῖται καὶ τὸ δικάζειν δύνασθαι.

Hunc locum attigi supra p. 56 et 88 sq. Cf. fragm. LIV.

2. Πλούταρχος ἢ Περὶ τῆς Ἀκαδημαϊκῆς διαθέσεως.

77. Galenus Περὶ ἀρίστ. διδ. p. 131 init. Τὴν εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησιν ἀρίστην εἶναι διδασκαλίαν ὁ Φαβωρῖνός φησιν. Ὀνομάζουσι δ' οὕτως οἱ Ἀκαδημαϊκοί, καθ' ἣν τοῖς ἀντικειμένοις συναγορεύουσιν. Οἱ μὲν οὖν παλαιότεροι τελευτᾶν αὐτὴν εἰς ἐποχὴν ὑπολαμβάνουσιν, ἐποχὴν καλοῦντες τὴν ὡς ἂν εἴποι τις ἀοριστίαν, ὅπερ ἐστὶ περὶ μηδενὸς πράγματος ὁρίσασθαι, μηδὲ ἀποφήνασθαι βεβαίως· οἱ νεώτεροι δὲ, οὐ γὰρ μόνος ὁ Φαβωρῖνος, ἐνίοτε μὲν εἰς τοσοῦτον προάγουσι τὴν ἐποχὴν, ὡς μηδὲ τὸν ἥλιον ὁμολογεῖν εἶναι καταληπτὸν, ἐνίοτε δὲ εἰς τοσοῦτον τὴν γνῶσιν, ὡς καὶ τοῖς μαθηταῖς ἐπιτρέπειν αὐτὴν ἄνευ τοῦ διδαχθῆναι πρότερον ἐπιστημονικὸν κριτήριον. Οὐδὲ γὰρ ἄλλο τί ἐστιν, ὃ Φαβωρῖνος εἴρηκεν ἐν τῷ Περὶ Ἀκαδημαϊκῆς διαθέσεως, ὃ Πλούταρχος ἐπιγέγραπται.

P. 138, 16. Ὁ θαυμαστὸς Φαβωρῖνος ἓν ὅλον γράψας βιβλίον, ἐν ᾧ δείκνυσι μηδὲ τὸν ἥλιον εἶναι καταληπτὸν, ὡς ἐπιλήσμοσιν ἡμῖν ἑτέρωθι διαλέγεται, συγχωρεῖ τέ τι βεβαίως εἶναι γνωστὸν, καὶ τοῦτ' ἐπιτρέπων αἱρεῖσθαι τοῖς μαθηταῖς.

De hoc fragmento et duobus sequentibus, a Galeno servatis, quantum satis est dixisse mihi videor p. 54 sqq. Fortasse corrigendum vel *συγχωρῶν* vel *ἐπιτρέπει*.

3. Πρὸς Ἐπίκτητον

Fragmentum hujus libri, eo nomine dignum, non exstat, nisi quod refert Galenus p. 131, 15, Favorinum eandem sententiam, *εἶναί τι βεβαίως γνωστὸν*, etiam *ἐν τῷ Πρὸς Ἐπίκτητον* tenuisse: *λέγει δὲ τὸ αὐτὸ ἐν τῷ Πρὸς Ἐπίκτητον, ἐν ᾧ δῆθέν ἐστιν Ὀνήσιμος, ὁ Πλουτάρχου δοῦλος, Ἐπικτήτῳ διαλεγόμενος.* Sic enim scribendum puto. Vulgo *αὐτὸ* legitur, pro quo si cum Kaysero corrigimus *ὁ αὐτὸς*, objectum, quod vocant, desideratur. Ceterum cf. p. 90.

4. Ἀλκιβιάδης.

78. Galenus Περὶ ἀρίστ. διδ. p. 131, 18. Καὶ μέντοι κἀν ἐν τῷ μετὰ ταῦτα γραφέντι βιβλίῳ, τῷ Ἀλκιβιάδῃ, καὶ τοὺς ἄλλους [τοὺς] Ἀκαδημαϊκοὺς ἐπαινεῖ, προσαγορεύοντας μὲν ἑκατέρῳ τῶν ἀντικειμένων ἀλλήλοις λόγων, ἐπιτρέποντας δὲ τοῖς μαθηταῖς αἱρεῖσθαι τοὺς ἀληθεστέρους. Ἀλλ' ἐν τούτῳ μὲν εἴρηκε πιθανὸν ἑαυτῷ φαίνεσθαι, μηδὲν εἶναι καταληπτὸν, ἐν δὲ τῷ Πλουτάρχῳ συγχωρεῖν ἔοικεν εἶναί τι βεβαίως γνωστόν.

Ad hunc librum pertinuisse videtur quod legitur Fragm. LXXVII, Favorinum demonstrare aggressum esse, *μηδὲ τὸν ἥλιον εἶναι καταληπτόν*; qua de re cf. supra p. 90.

5. Πρὸς Ἀδριανόν.
6. Πρὸς Δρύσωνα. } περὶ τῆς καταληπτικῆς φαντασίας.
7. Πρὸς Ἀρίσταρχον.

79. Galenus Περὶ ἀρίστ. διδ. p. 131, 26. Καὶ ἔγωγε ἐθαύμαζον, νὴ τοὺς θεοὺς, ὅπως ὁ Φαβωρῖνος εἰς τὴν τῶν Ἀττικῶν φωνὴν εἰωθὼς μεταλαμβάνειν ἕκαστα τῶν ὀνομάτων οὐ παύεται λέγων οὔτε τὸ καταληπτὸν, οὔτε τὴν κατάληψιν, οὔτε τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, οὔτε τὰ τούτοις ἀντικείμενα, οἷον στερητικῶς λεγόμενα ἀκαταληπτὸν φαντασίαν, ἢ τὴν ἀκαταληψίαν αὐτήν· ὡς δὲ καὶ τρία βιβλία γράψας, ἓν μὲν Πρὸς Ἀδριανὸν, ἕτερον δὲ Πρὸς Δρύσωνα, καὶ τρίτον Πρὸς Ἀρίσταρχον, ἅπαντα Περὶ τῆς καταληπτικῆς φαντασίας ἐπέγραψε. Καὶ καθ' ὅλα γε αὐτὰ γενναίως ἀγωνίζεται πειρώμενος ἐπιδεικνύναι τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν ἀνύπαρκτον.

Vs. 6 Haud scio an verborum ordo sic restituendus sit: τὰ τούτοις ἀντικείμενα στερητικῶς λεγόμενα, οἷον ἀκαταληπτὸν φαντασίαν, κτέ.

INCERTAE SEDIS FRAGMENTA.

80. Stob. XLIX. 14. (Φαβωρίνου.) Ὥσπερ γὰρ τὰ θηρία τὴν σαγήνην ὑποχωροῦντα εἰς ἐλάττω τόπον συνάγεται, οὕτω δὴ καὶ τοὺς τυράννους ἔστιν ἰδεῖν ἐπαναχωροῦντας ἐκ μὲν τῆς Ἑλλάδος εἰς τὴν πόλιν, ἐκ δὲ τῆς πόλεως εἰς τὴν ἀκρόπολιν, εἶτ' εἰς τὴν οἰκίαν, εἶτ' εἰς τὸ δωμάτιον. Εἶτα δύναται καταφυγεῖν ἄνθρωπος θεὸν φεύγων; ὅποι γὰρ ἂν καταφύγῃ, ἡ δίκη αὐτὸν εὑρήσει.

„Pro Εἶτα, quod jam aliquoties praecessit, malim οὔτοι." Ita Wyttenbachius ad Plutarch. De ser. num. vind. p. 51. Idem cum nostro loco conferri jubet Dion. Chrysost. Orat. de tyrann. p. 96 Mor., p. 111 Emp.

81. Stob. XLIX. 48. (Φαβωρίνου.) Ἀλλ' ἐγὼ βούλομαι ἡδονήν τινα τῷ τυράννῳ μηνύσαι. Εἰ μὲν ἀνθρωπίνην

θέλεις, ὦ Διονύσιε, πείνησον, ἵνα φάγῃς· δίψησον, ἵνα πίῃς· εἰ δὲ δεξιάν τινα καὶ ὑπέρσπονδον καὶ τηλικαύτην, ἥλιον οὐδεὶς πρὸ τοῦ, ἀπόθου τὴν τυραννίδα. Τὸν γὰρ μυρίων καὶ πεντακισχιλίων χλαμύδων δεόμενον οὐκ ἔστι μὴ πλειόνων δεῖσθαι· οἷς γὰρ ἔχει προσδεόμενος, ἀφελὼν ὧν ἔχει, ἀρκοῦμαι οἷς ἔχω.

Vide num pro δεξιὰν rectius legatur ἀξίαν, ὑπέρσπονδον pro ὑπερσπονδον. Sunt autem omnia deprompta ex dissertatione, ut docet Gellius IX. 8, ubi postremis verbis haec praemittit: „Hanc sententiam (*necessum esse, qui multa habeat, multis indigere*) memini a *Favorino* inter ingentis omnium clamores detornatam inclusamque verbis his paucissimis: Τὸν γὰρ μυρίων κτέ." Est igitur quod credas cum ex hoc fragmento, tum e superiore, scriptum fuisse Favorino aliquem Περὶ τυραννίδος λόγον, ad quem referam porro Fragm. LXXXII et LXXXIII.

82. Stob. XCIV. 29. (Φαβωρίνου) Οὐδεὶς γοῦν οὕτω πλουτεῖ, ὥστε οὐκ ἐλάττω ἔχει ὧνπερ βούλεται. Τὸν δὲ εὐδαιμονεῖν μέλλοντα χρὴ ἐν μὲν τοῖς ἀγαθοῖς ἀφορᾶν εἰς τοὺς ἐλάττω ἀγαθὰ κεκτημένους, ἐν δὲ τοῖς κακοῖς εἰς τοὺς μᾶλλον δυστυχοῦντας. Ἐὰν δέ γε ἢ ἐν τοῖς ἀγαθοῖς εἰς τὸ ὑπερέχον, ἢ ἐν τοῖς κακοῖς εἰς τὸ ἐνδεέστερον ἀποβλέπῃς, ἀεὶ λυπήσῃ. Ἔστι δὲ λύπη ἰδία ἐπὶ τοῖς ἰδίοις κακοῖς.

83. Stob. XCV. 14. (Φαβωρίνου) Πενίας διττὸν εἶδος· ἢ γὰρ διὰ τὴν γνώμην ἄνθρωποι πένονται, ἢ διὰ τὴν τύχην. Ἀλλὰ τὴν μὲν τύχην ἔστι θεραπεῦσαι καὶ δόσει καὶ εὑρέσει καὶ ἐργασίᾳ καὶ συντάξει· τὴν δὲ γνώμην οὐκ ἔστιν· οὐ γὰρ ὁμοίων δέονται αὐτοῖς τε πλούτου· ἀλλ' ὁ μὲν περιέρχεται αἰτίζων ἀκόλους· ὁ δὲ οὐκ ἀκόλους, οὐδὲ ψωμόν.

„In fine hujus fragmenti deesse quid suspicatur Gesnerus. Vide Homer. Odyss. P. 222." Sane si non addendum ali-

quid, at audiendum certe est, quo magna splendida mendicare alter dicatur.

84. Stob. LXV. 8. (Φαβωρίνου.) Ἱκανὸν μὲν οὖν ἴσως καὶ τὸ τῆς ὄψεως ἂν δὲ ὁ καλὸς καὶ αἱμύλος ᾖ καὶ διαλεκτικός, — Λέγε, ὦ νεανίσκε· λέγε, Ἀντίλοχε· γλυκερώτερον Νέστορος ἐρεῖς· λέγε, Τηλέμαχε· σφοδρότερον Ὀδυσσέως ἐρεῖς· λέγε, Ἀλκιβιάδη, κἂν μεθύῃς, ἀκουσόμεθα τοῦ μεθύοντος ἡδέως. Τοιοῦτόν ἐστι τὸ καλὸν εἶναι· εὐφραίνει μὲν βλεπόμενος, εὐφραίνει δὲ ἀκουόμενος. Εἰ δέ τῳ κατὰ Πλάτωνα τὸ θάῤῥος ἦν, εἶπον ἂν ὅτι καὶ πάσας τὰς αἰσθήσεις ὁ καλὸς εὐφραίνει, καὶ οὐκ ἂν ἔδεισα τὴν εὐωχίαν τὴν τῶν καλῶν. Τί γὰρ ἄλλο ποιοῦσιν οἱ τῷ στόματι ψαύοντες; συνάπτουσι τὰς ψυχάς· εἰ γὰρ θέμις ἦν τὸ στόμα ὑπερβῆναι· νῦν δὲ ἐοίκασιν περὶ τὸ στόμα λιπαρεῖν, ὡς περὶ θύρας.

Pro ἂν δὲ ὁ καλὸς Halmius Lectt. Stob. p. 28 scripsit ἄν γε ὁ καλὸς, quo lacuna sane tollitur, at frigida, ne dicam inepta sententia exsistit. Potius igitur post διαλεκτικὸς, aliquid vel excidisse vel suppressum esse credam, veluti: τότε δὴ μάλιστα εὐφραίνει. Pro ἀκουσόμεθα τοῦ μεθύοντος legerim ἀκουσόμεθα σοῦ μεθύοντος. Deinde in verbis εἰ δέ τῳ κατὰ Πλάτωνα τὸ θάῤῥος ἦν nescio an pro τὸ θάῤῥος scribendum sit τὸ κάλλος; intellige Platonicam illam pulchritudinis speciem, quam expressit in Symposio et in Phaedro. Στόμα recte e duobus codd. Halmius restituit pro σῶμα, quod vel sine libris corrigendum erat. Dictum εἰ γὰρ θέμις ἦν τὸ στόμα ὑπερβῆναι vel explicandum est per ellipsin, ut interdum fit, supplenda apodosi τοῦτο ποιοῖεν ἄν, vel corrigendum sic: εἰ γὰρ θέμις ἦν, καὶ τὸ στόμα ὑπερβαῖεν ἄν· νῦν δὲ κτέ.

85. Stob. LXIV. 26. (Φαβωρίνου.) Πάθος τί μοι προσέπεσε τῇ ψυχῇ, καὶ τί μέν ἐστιν οὐκ οἶδα· ἔρωτα δὲ αὐτὸ λέγουσιν εἶναι οἱ μεμυημένοι. Βάσκανε δαῖμον καὶ ἀλόγιστε, ἀσθενεῖ προσελήλυθας σώματι, φέρειν σε μὴ δυνα-

μένω· ἐξίσταμαί σου, δαῖμον· παραχωρῶ σοι τῆς μάχης· οὐκ εἰμί σου στρατιώτης.

Descripsit haec S. Maximus Serm. XXVI p. 610.

86. Stob. LXVI. 3. (*Φαβωρίνου.*) *Ἔτι καὶ νῦν Σωκράτης καλός· Ἀλκιβιάδην δὲ καὶ ζῶντα ἐπιλελοίπει τὸ κάλλος, καὶ πολλοὶ κατόπιν τῆς ὥρας ἀφιγμένοι, ἔνιοι δὲ καὶ τῶν τεθεαμένων αὐτὸν καὶ νῦν ὁρώντων, ἐζήτουν τὸν Ἀλκιβιάδην.*

In hoc fragmento haud unum inesse vitium videtur. Non procedit saltem *ἀφιγμένοι*, sed *ἀφιγμένον* legendum est, ut referatur ad Alcibiadem. Huc enim redit sententia loci. *Ἔτι καὶ νῦν Σωκράτης καλὸς* spectat ad *τὸ ἔνδον κάλλος*, pulchritudinem animi: haec aeterna est, manet etiam post mortem; contra *τὸ ἔκτος κάλλος* corporis pulchritudo qualis Alcibiadis, etiam in vivente marcessit: itaque qui formosum Alcibiadem *κατόπιν τῆς ὥρας ἀφιγμένον*, *aetate provectiorem*, primum conspiciebant, vel qui conspectum antea, postea rursus videbant *ἐζήτουν τὸν Ἀλκιβιάδην* *quaerebant Alcibiadem* h. e. non agnoscebant eum. Haec fere dixisse Favorinum quo probabilius est, eo minus dubium, quin in postrema verba grave vitium irrepserit, quod tamen quomodo tollendum sit non video.

87. Stob. LXVI. 6. (*Φαβωρίνου.*) *Ἡ φύσις ἡ ἑστῶσα σώζεται ἡ φερομένη· [ἡ] ἑστῶσα μὲν ἐξ ἀθανασίας, φερομένη δὲ ἐξ ἐπιγονῆς. Πρὸς ταῦτα γελοῖος ἂν φανείη ὁ Ἀνακρέων καὶ μικρολόγος, τῷ παιδὶ μεμφόμενος, ὅτι τῆς κόμης ἀπεκείρατο, λέγων ταῦτα·*

ἀπέκειρας δ' ἁπαλῆς
κόμης ἄμωμον ἄνθος.

ἀλλ', ὦ Ἀνάκρεον, μικρὸν ἐπίμεινον, καὶ ὄψει πάντα ἀποκεκαρμένα· ἀποκεκαρμένην μὲν τὴν τῶν ὀμμάτων αὐγήν, ἀποκεκαρμένην δὲ τὴν τοῦ μετώπου χάριν, ἀτεχνῶς κατὰ τὸν Ὅμηρον·

κάρψε μέν οἱ χρόα καλὸν ἐνὶ γναπτοῖσι μέλεσσι,
ξανθὰς δ' ἐκ κεφαλῆς ὄλεσε τρίχας· ἀμφὶ δὲ δέρμα
πάντεσσιν μελέεσσι παλαιοῦ θῆκε γέροντος.

ταῦτα δ' Ἀθηνᾶ μὲν διέθηκε τὸν Ὀδυσσέα, ὁ δὲ χρόνος πάντας τοὺς καλούς. Εἶτα Ὀδυσσεὺς μὲν ἀναλήψεται καὶ σάρκας καὶ κόμην καὶ χρῶμα· σὺ δέ, ὦ καλὲ παίδων, ἐπειδὰν ταῦτα ἅπαξ ἀποβάλῃς, οὐκ ἔστι σοι πάλιν ἀνηβῆσαι.

Ante ἑστῶσα articulum uncinis inclusi, utpote delendum. An pro τῆς κόμης rectius legatur τὰς κόμας, ut primum mihi in mentem venit, nunc dubito; nisi cute tenus caput sibi abraserit Anacreontis amasius, quod sane sequentibus versibus non probatur. Pro ἀναβῆναι, quod huic loco non convenit, Jacobsium secutus, quem vide p. 108, scripsi ἀνηβῆσαι. In versibus autem Homericis (Od. XIII. 430 sqq.) vulgatam lectionem ἐνὶ restitui, quae apud Stobaeum in ἐπὶ abiit. Ceterum inde a Fragm. LXXXIV omnia spectare videntur ad dissertationem Περὶ κάλλους vel Περὶ ἔρωτος.

88. Philostr. vit. Apoll. Tyan. p. 165 (75). Ἐν Κορίνθῳ δὲ φιλοσοφῶν ἐτύγχανε τότε Δημήτριος, ἀνὴρ ξυνειληφὼς ἅπαν τὸ ἐν Κυνικῇ κράτος, οὗ Φαβωρῖνος ὕστερον ἐν πολλοῖς τῶν ἑαυτοῦ λόγων οὐκ ἀγεννῶς ἐπεμνήσθη.

Demetrii hujus paucis memor est Tacitus Hist. IV. 40: „Justum indicium explesse Musonius videbatur; diversa fama Demetrio, Cynicam sectam professo, quod manifestum reum ambitiosius quam honestius defendisset." Agitur de causa inter Musonium Rufum et P. Celerem acta a. p. Ch. 71. Quomodo ex hoc Philostrati loco collegerit Kayserus (Vit. Soph. p. 183) Favorinum a Demetrio Cynico cultum fuisse non assequor. De Demetrio Alexandrino cf. supra p. 17 sq.

89. Phrynich. p. 37. Ἐπεξελευσόμενος. ἄλλος οὗτος [ἦν] Ἡρακλῆς. τοῦτο οὖν ἔσυρεν ἐκ τριόδου Φαβωρῖνος· χρὴ

γὰρ ἐπεξιὼν εἰπεῖν· καὶ γὰρ ἐπέξειμι λέγεται, ἀλλ' οὐκ ἐπεξελεύσομαι.

In brevius contracta haec refert Thomas Mag. ed. Bernard p. 336 sqq. Lobeckius post Ἐπεξελευσόμενος punctum delevit. Sed proverbium ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς (nam ἦν delendum est) nihil habet cum illo verbo commune, neque a Thoma receptum est. Itaque Hemsterhusio obsequendum putavi, quem vide ad Thom. l. l. Proverbium legas ap. Diogenian. I. 63, ubi plures locos Leutschius attulit.

90. Phrynich. p. 69. *Κορυφαιότατος: ἐνεκαλυψάμην εὑρὼν παρὰ Φαβωρίνῳ. Λέγε οὖν κορυφαῖον.*

Cf. Thomas Mag. v. Κορυφαῖον p. 550 sq., laudans Lucian. Soloec. V, ubi usus hujus soloecismi ridetur, quo tamen Lucianus ipse non per jocum, sed serio utitur Quom. hist. sit conscr. XXXIV et Paras. XLII. De Plutarchi aliorumque locis vidd. quae annotavit Abresch ad Thomam, Lehmann ad Lucian. Pseudosoph. et Lobeck ad Prynich., qui tamen nimis probare videtur, ubi ex Favorino vocabulum κορυφαιοτάτους retentum putat a Diog. Laert. II. 8. 85.

91. Phrynich. p. 170. *Αἱ νῆες ἐρεῖς, οὐχ αἱ ναῦς. σόλοικον γάρ. ἥμαρτε γὰρ Φαβωρῖνος, Πολέμων καὶ Σύλλας αἱ ναῦς εἰπόντες.*

Hujus quoque soloecismi, qui Favorini aetate haud ita infrequens fuit, exempla plura affert Lobeck. Rem rursus Commemorat Thomas Mag., sed tacitis auctoribus, v. Νῆες p. 626.

92. Phrynich. p. 192. *Ἀφιερῶσαι: καὶ τοῦτο Φαβωρῖνος. σὺ δὲ καθιερῶσαι λέγε.*

Idem habet Thomas v. Καθιερ. p. 485, ubi cff. interpr. Adde quae annotavit Lobeckius ad l. l.

93. Phrynich. p. 199. *Ἐξιδιάζονται: καὶ τοῦτο Φαβωρῖνος λέγει κακῶς. ἰδιοῦσθαι γὰρ τὸ τοιοῦτον λέγουσιν οἱ ἀρχαῖοι.*

Hinc Thomas p. 466: Ἐξιδιάζονται, inquit, Φαβωρῖνος λέγει· σὺ δὲ ἐξιδιοῦνται, unde Oudendorpius Phrynichum emendari jussit; sed utrumque, ἰδιοῦσθαι et ἐξιδιοῦςθαι, Atticum esse, Lobeckius probavit. Phrynicho non temere assentiendum esse monuit Sallierius, quod ἐξιδιάζεσθαι legatur in testamento Theophrasti ap. Diog. Laert. V. 2. 53; sed cf. Lobeckius.

94. Phrynich. p. 215. Σταθερὸς ἄνθρωπος: οὕτως οὐ χρῶνται οἱ ἀρχαῖοι, ἀλλὰ σταθερὰ μὲν μεσημβρία λέγουσι καὶ σταθερὰ γαλήνη· σταθερὸς δὲ ἄνθρωπος οὐδαμῶς, ἀλλ' ἐμβριθής. οὐ καλῶς οὖν Φαβωρῖνος σταθερὸς ἄνθρωπος εἶπεν.

Non addito Favorini nomine simillima praecipit Thomas v. Ἐμβριθὴς p. 301 sq.

95. Phrynich. p. 220. Προσδεῖσθαι λέγε, ἀλλὰ μὴ προσδέεσθαι, διαιρῶν, ὡς Φαβωρῖνος λέγων ἁμαρτάνει.

96. Phrynich. p. 237. Ὑστερίζειν τῷ καιρῷ οὐ λέγεται, ἀλλ' ὑστερίζειν τοῦ καιροῦ. Φαβωρῖνος δὲ οὐχ ὑγιῶς κατὰ δοτικὴν συντάττει.

Dativum non omnino contemnendum esse, sed praeferendum genitivum compluribus allatis exemplis Lobeckius ostendit.

97. Phrynich. p. 238. Στατὸς ὁ τῶν αὐλητῶν χιτὼν οὐ λέγεται, ὡς Φαβωρῖνος, ἀλλ' ὀρθοστάδιος χιτών.

Eundem χιτῶνα a Callimacho στάδιον dici, dudum interpretes monuere. Cf. Baehr Annot. in Plutarch. Alcib. p. 232.

98. Phrynich. p. 245. Προάλως: τοῦτο δοκεῖ μοι γυναικῶν εἶναι τοὔνομα. ἀνιῶμαι δὲ, ὅτι ἀνὴρ λόγου ἄξιος κέχρηται αὐτῷ Φαβωρῖνος. τοῦτο μὲν οὖν ἀποδιοπεμπώμεθα, ἀντ' αὐτοῦ δὲ λέγωμεν προπετῶς.

Hujus quoque vocabuli memor Thomas Mag. p. 744: Προ-

πεταῦς, inquit, δόκιμον· προάλως δὲ μόνος Φαβωρῖνος λέγει, καὶ Συνέσιος, ἀδοκίμως.

99. Phrynich. p. 347. Βρώσομαι κακῶς ὁ Φαβωρῖνος. οἱ γὰρ Ἀττικοὶ ἀντ' αὐτοῦ τῷ ἔδομαι καὶ κατέδομαι χρῶνται.

In Anecd. Bekk. I p. 37, 31 eadem de re haec leguntur: Ἔδει καὶ ἔδομαι. — οἱ μὲν ἀμαθεῖς φάγῃ λέγουσιν ἐπὶ τοῦ μέλλοντος· ὁ δὲ Φαβωρῖνος, ἢ οὐκ ἐντυχὼν τῷ ἔδει ἢ ἀποστραφεὶς τὸν ἦχον, τῷ βρώσομαι ἐπὶ τοῦ μέλλοντος ἐχρήσατο. Re non differunt quae ex Phrynich. App. Soph. 37, Favorino auctore laudato, Lobeckius adscripsit p. 348.

100. Phrynich. p. 443. * ενιτεῦσαι: ἰδεῖν δεῖ, εἰ Φαβωρῖνος χρώμενος οὐκ ὀρθῶς χρῆται.

Satis patet, de verbo agi parum usitato. Quod quo est certius, ita difficilius quae deest litera suppletur. Fortasse cum Lobeckio ξενιτεῦσαι restituendum est.

101. Phrynich. p. 447. Ἀπηρτισμένον, ἀπήρτικα καὶ τὰ ἀπὸ τούτων ἅπαντα σόλοικα. ἀποτετέλεσται, δὲ καὶ ἀποτετελεσμένον χρὴ λέγειν· ἄμεινον γάρ· ἐκτὸς εἰ μή ποθεν τοῦτο εἰς Φαβωρῖνον ἦλθεν, ὅθεν οὐδεὶς οἶδεν. Ἀρχαῖοι μὲν γὰρ οὕτως οὐ λέγουσιν, ἐκεῖνος δέ· πλὴν εἴη εἷς. ἡμεῖς οὖν ὡς οἱ ἀρχαῖοι, ἀλλὰ μὴ ὡς Φαβωρῖνος.

Locos Moeridis et Thomae, qui sunt v. Ἀπετέλεσεν p. 82 et v. Ἀποτετέλεκα p. 104, jam contulit Lobeckius, quem vide.

102. Gellius. I. 3. *Favorinus* philosophus indulgentiam gratiae tempestive, laxato paulum remissoque subtili justitiae examine, his verbis definivit: Ἡ καλουμένη χάρις παρὰ τοῖς ἀνθρώποις, τουτέστιν, ὕφεσις ἀκριβείας ἐν δέοντι.

103. Stob. IV. 91. (Φαβωρίνου.) Φαβωρῖνος εἶπε, τοὺς ἀνθρώπους πῇ μὲν εἶναι γελοίους, πῇ δὲ ἐλεεινούς, πῇ

δὲ μισητούς· γελοίους μὲν, θρασύτητι μειζόνων ὀρεγομένους· μισητοὺς δὲ, ἐπιτυχόντας· ἐλεεινοὺς δὲ, ἁμαρτάνοντας· ζηλωτοὺς δὲ, οὐδέποτε.

Ἁμαρτάνοντας h. l. valere ἀποτυγχάνοντας ex orationis contextu et praecedenti ἐπιτυχόντας manifesto apparet.

104. Stob. XIV. 11. (Φαβωρίνου.) Ἔστι δὲ οὐκ ἀξιόπιστος ἔπαινος, ὃν ἐπαινεῖ τις ἕτερον διὰ τὸ ἑαυτοῦ σύμφερον.

105. Stob. XIV. 12. (Τοῦ αὐτοῦ.) Ὥσπερ ὁ Ἀκταίων ὑπὸ τῶν τρεφομένων ὑπ' αὐτοῦ κυνῶν ἀπέθανεν, οὕτως οἱ κόλακες τοὺς τρέφοντας καταλύουσιν.

Receperunt hanc sententiam S. Maximus Serm. XI p. 566 et Anton. Melissa I. 48 p. 72, ita tamen ut pro καταλύουσιν scribant κατεσθίουσιν. Jacobsius Lectt. Stob. p. 59, quum vulgatam lectionem ferri posse putet, legendum proponit κατανύουσιν.

106. Stob. XXII. 39. (Φαβωρίνου.) Φρονήσῃς μὲν οὖν μηδέποτε ἐπὶ σεαυτῷ μέγα· ἀλλὰ μηδὲ καταφρονήσῃς σεαυτοῦ.

107. Stob. XXIX. 69. (Φαβωρίνου.) Γραῦν τινά φασι μόσχον μικρὸν ἀραμένην, καὶ τοῦτο καθ' ἡμέραν ποιοῦσαν, λαθεῖν βοῦν φέρουσαν.

108. Stob. LVII. 10. (Φαβωρίνου.) Φασὶ δὲ καὶ ἑταιρικόν τινα ἀναγκαζόμενον ὑπὸ τοῦ πατρὸς γεωργεῖν ἀπάγξασθαι, γράψαντα ἐν γραμματιδίῳ, ὅτι ἀπέραντόν τι καὶ ἀκατάστροφον ἡ γεωργία ἦν· σπείρειν, ὅπως θερίσωμεν, εἶτα θερίζειν, ὅπως σπείρωμεν· ἄτοπόν τι τὸ χρῆμα τῆς περιόδου.

109. Stob. CV. 62. (Φαβωρίνου.)

Ἄνθρωπος ὢν μηδέποτ' εἴπῃς, ὅτι γίνεται
αὔριον· μηδ' ἄνδρα ἰδὼν ὄλβιον, ὅσον χρόνον ἔσεται.

ἀλλὰ μηδὲ οἶκον· ὥσπερ ἀμέλει ὁ ποιητὴς διεξέρχεται τὴν τῶν Σκοπάδων ἀθρόαν ἀπώλειαν. Ἤδη δὲ καὶ πόλεις, παρ' ὃ προσεδόκησαν, ἀνάστατοι γεγόνασιν αἰφνίδιον· αἱ μὲν ὑπὸ πυρὸς, αἱ δ' ὑπὸ σεισμοῦ, αἱ δὲ τῆς θαλάττης ἐπελθούσης. Ποῦ μοι Ἑλίκη; Κατεπόθη. Ποῦ Βοῦρα; Καὶ αὐτὴ κατεπόθη. Δύο πόλεις Ἑλληνίδες ἀπώλοντο ὥσπερ πλέουσαι.

Versus laudati referunt Simonideos, qui leguntur in Gnomicis poet. Brunckii VIII ed. alt. p. 137, scripti hoc modo:

Ἄνθρωπος ἐὼν, μήποτε φήσῃς
ὅ ττι γενήσεται,
μηδ' ἄνδρα ἰδὼν, ὅσον ἐσσεῖται
χρόνον.

de Helices et Burae interitu cf. annotatio Fragm. V.

110. Stob. CVIII. 76. (*Φαβωρίνου.*) *Ἀνὴρ δὲ ἐν μεγαλοψυχίᾳ ἀληθινῇ καὶ φιλοσοφίᾳ τεθραμμένος πρὸ τῶν ξυμφορῶν τὴν εὐθυμίαν ἐν τῇ γνώμῃ ἀπόθετον ἔχει. Τὸ δὲ ἐπὶ τοῖς δεινοῖς τῆς ἐξ ἑτέρου παρηγορίας χρῄζειν, τὸν καιρὸν τῆς εὐθυμίας ὑπερβαίνει.*

111. S. Maximus XLI p. 635. (*Ἐκ τῶν Φαβωρίνου.*) *Ἐρατοσθένης ὁ Κυρηναῖος τῆς ἡλικίας ἔφη τὸ μὲν ἀκμάζον ἔαρ εἶναι· θέρος δὲ καὶ μετόπωρον τὸ μετὰ τὴν ἀκμήν· χειμῶνα δὲ τὸ γῆρας.*

Mutato ordine et tanquam ex Eratosthene ipso haec leguntur excerpta apud Stobaeum CXVI. 44: *Ἐρατοσθένους Κυρηναϊκοῦ. Ἐρατοσθένης τῆς ἡλικίας κτέ.* Veri est similius, a librariis in Stobaei loco Favorini nomen omissum esse quam additum a Maximo, quem jam observavimus sermonibus Stobaei integrioribus usum videri. Cf. infra.

112. Stob. CXVIII. 28. (*Φαβωρίνου.*) *Ὅτι παραπλήσια τοῖς μετοικιζομένοις πάσχομεν. Καὶ γὰρ ἐκείνων οἱ μὲν εὐγνώμονες ταχέως ἐξίασιν· οἱ δὲ μὴ βουλόμενοι, πρὸς βίαν.*

113. S. Maximus XXVIII p. 590. (Ἐκ τῶν Φαβωρίνου.) Εὐτυχῶν μὴ ἴσο ὑπερήφανος· ἀπορήσας, μὴ ταπεινός· τὰς μεταβολὰς τῆς τύχης γενναίως ἐπίστασο φέρειν.

Addito Favorini nomine descripta est sententia ab Antonio Meliss. Serm. I. 70, Arsenio XXV. 18 et Apostolio VIII. 12 b, p. 428 ed. Leutsch, ubi ταπεινοῦ legitur, quod propter oppositum ὑπερήφανος minus placet.

114. S. Maximus XXXVI p. 627. (Ἐκ τῶν Φαβωρίνου.) Ἀριστείδης ὁ Δίκαιος, ἐρωτηθεὶς πόσον ἐστὶ χρόνον ἄνθρωπον καλὸν ζῆν, ἔφη, ἕως ἂν ὑπολάβῃ τὸ τεθνάναι τοῦ ζῆν κρεῖττον εἶναι.

Videtur ἄνθρωπον mutandum in ἀνθρώπῳ. Ceterum Maximus cum hunc locum tum superiorem non a Favorino deprompsisse videtur, sed a Stobaeo, in cujus exemplaribus hodie uterque desideratur.

DISSERTATIONIS CONSPECTUS.